Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johan Henrich Reitz

Paylos Pasin Areskon Sive Prudentia Ecclesiastica, Illustrata ex Matth. X,16. : Ubi docetur, Quod, cum Doctores ac Pastores, tum Christianorum singulos, pia candidaque mente esse, at eandemque caute & prudenter moderari, ac quasi quasi sale & gratia condire, oporteat. Tractatus rerum varietate non iniucundus

Annexa est Meditationum ex parte Orthodoxarum, ex parte Paradoxarum, Decas, Heidelbergae: Rüdigerus, 1692

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn792504542

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn792504542/phys_0001
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn792504542/phys_0002
DFG

ΠΑΥΛΟΣ ΠΑΣΙΝ ΑΡΕΣΚΩΝ

Sive

PRUDENTIA ECCLESIASTICA,

Illustrata ex Matth. X, 16.

Ubi docetur,

Quòd, cùm Doctores ac Pastores, tum Christianorum singulos, piâ candidâque mente esse, at eandemque cautè & prudenter moderari, ac quasi sale & gratiâ condire, oporteat.

Tractatus rerum varietate non injucundus.

Annexa est Meditationum ex parte Orthodoxarum, ex parte Paradoxarum, Decas.

AUTHORE

JOH. HENRICO REITZIO.

HEIDELBERGÆ,

Impensis JOH. MICHAELIS RÜDIGERI,

Academiæ Bibliopolæ, 1692.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn792504542/phys_0003

DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn792504542/phys_0004
DFG

DEDICATIO.

Illustrißimo Comiti ac Domino,

DN. WILHELMO MAURITIO,

SOLMENSIUM COMITI, DNO. IN MUNTZENBERG, WILDENFELS, ET SONNENWALD, &c.

Domino meo Gratioſißimo.

Cumulatiſſimam à DEO T. O. M. Salutem ac Pacem!

NUllum, *Illustrißime Comes*, conjugium felicius ac fauſtius eſt, quàm *Pie-*

tatis cum *Prudentia*. Ubi illæ animam noſtram, tanquam nuptiarum ſuarum triclinium, occuparunt, & DEO placemus & hominibus. Eſt autem felicitas ſumma, digniſſimaque hominis conditio, DEI atque proximi amicitiâ & benevolentiâ frui; quam nobis tùm comparamus, cùm quæ utrique non ingrata, ſed εὐάρεστα ſunt, præſtamus. Sed quamvis *Pietas*, & ſincerus probæ mentis candor, nihil aliud, quàm quod voluntatis Divinæ præceptum eſt, facere ſtudeat, tamen, niſi *eidem Prudentiam* junxerimus, ceu omnium virtutum Gubernatricem, ſæpiſſimè pio noſtro ſtudio ac zelo, extra ſcopum, æqui-

æquique limites, divertemur. Ne autem vel ego extra decori carcerem, multorum verborum usu, evager, *Tute, Illustrißime Comes*, es, qui binæ huic virtuti mentem sacrasti. Et quemadmodum nec Torus *Tuus* sterilis est, sed digniſſimâ Prole auctus, ita nec *Pietas Tua* infœcunda est: Hinc enim progignitur illa in Judicando diligentia *Tua* atque æquitas, quàm & subditi, raro sanè exemplo, non diffitentur, atque ille veræ Religionis amor, (quæ si nostra non est, nulla est,) nec non singularis in literas, literatosque propensio. Ad quas Pietatis *Tuæ* gnatas, eò magis ornandas, Augustamque

Tuam Sortem feliciſſimam reddendam, accedit haud vulgaris *Prudentia*, nam

- - - eſt animus Tibi
Rerumq; Prudens, & ſecundis
Temporibus, dubiisq;, rectus.

Hor. Carm. l. 4. od. 9.

Hæc cauſa eſt, cur *Illuſtriſſimo Tuo Nomini* hunc tractatulum, qui de utraque illa virtute, præſertim de Prudentia agit, dicare voluerim, ac debuerim. Cùm enim nullo honore digni ſunt, qui ſceleribus & impietate inferos provocant, contrà venerandi nobis, qui cœleſtia ſapiunt ac ſpirant, ſummo profectò tùm cultu proſequendi illi, qui & Pietate & Prudentiâ imbutum

tum pectus gerunt, præprimis autem, si æque suâ sorte, ac virtute, mortalium reliquos excedunt. Et inter Hos, *Tu Illustrissime Comes*, meritò nobis numerandus. Taceo, quòd terna illa *Mederorum*, *Christorum* & *Reitziorum* prosapia, quæ mutuâ & vetustâ consanguinitate, arctissimè sibi sunt junctæ, & è quibus Viri doctissimi ac Consultissimi prodiére, quorum quidam etiamnum *Tuo* Dicasterio & Aulæ præsunt, sub Clypei *Tui* umbra securè quiescant, fascesque *Tuos* submissè vereantur, omnemque suarum rerum prosperitatem *Clementiæ Tuæ* unicè debeant. Benignissimè er-

go accipe, *Illustrissime Comes*, animum mei, qui Tantas in *Te* virtutes & humilimo cultu honoro, & hâc Dedicatione palàm deprædicare satago.

Illustrissimo Tuo
Nomini

Ladenburgi ipsis
Cal. Januar.
1692.

Devotissimus

JOH. HENR. REITZIUS,
Eccl. hujus Pastor & vicinar. Inspector.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn792504542/phys_0010
DFG

PRÆFATIO

AD LECTOREM B.

CUm lapsu Adami omnis rerum concordia collapsa est, inductaque inter creaturas dissensio. Præsertim verò hominum animi collisi, non tàm linguarum, quàm sententiarum confusionem, peperêre. Atque hinc, quoniam non sunt κατηρτισμένοι ἐν τῷ αὐτῷ νοΐ, *coagmentati eâdem mente homines*, sed sensibus luxatis, etiam τὸ αὐτὸ οὐ λέγουσι, *idem non loquuntur*. 1. Cor. 1: 10. Unde omnibus placere posse, difficilimum est. Tot enim ferè sunt sensus, quot capita. Et quanquam quis foret omnium horarum homo non tamen foret omnium hominum homo. Ipsissimi improbi, quorum Deus, Vertumnus est, socios suâ improbitate ac sceleribus non semper devinciunt, sed interdum iisdem à se avertunt, non quòd hi ullam Pietatis rationem habeant, sed quòd ob has illasve circumstantias illorum improbitas intempestiva fuerit. Quin & ipse Diabolus in *Nerone* & aliis *Antichristis* enormia illa flagitia impatienti animo aspexit. Hoc enim modo & vitam & famam prodegêre, quam si servare indutâ hypocrysi; larvâ studuissent, nec illi cœlorum Re-

gno majus damnum intuliſſent. Pari ratione Dei filii, quos lucrandis captandisque improborum animis, & ut quoque aliis piis placeant, operam dare oportet, neutiquam ubivis ſcopo ſuo potiuntur. Nuda etenim veritas ac pietas, utrorumque quandoque aures oculosve offendit; ut non minus verum ac lepidum illud *Italorum* diverbium ſit; Qui *Veronam* habet patriam, non habet is *Placentiam*, ſeu ut *Ovvenus in Epigr.* reddidit; *Veronâ Beneventanam raro itur ad urbem.* Non hoc volo, ac ſi filii lucis, æque ac filii tenebrarum, veritatis pietatisque eſſent oſores, hoc ſaltem dico, quòd haud pauci pii, quorum pietatem Chriſtiana Prudentia deſtituit, impolitamque & velut crudam relinquit, ſæpiuſculè veritatem ac pietatem, vel pro mendaciis & aperta profanitate, vel ſaltem occultandam eam ad tempus, ducant. Ex quo deinde fit, ut & alterius ſcopum, quem tamen non habent perſpectum, facilè condemnent, & optima quæque ſiniſtrè interpretentur. Quemadmodum *Michal, Davidis* uxor, mariti ſaltationem, quam *ipſe pio animo*, ac ſincerâ in Deum ſuum fide, peregerat, in peſſimum ſenſum detorſit. 2. *Sam.* 6: 20. Qualis tamen error non levis eſt, quanquam ſit vulgatiſſimus etiam inter pios, quorum fides ſuperſtitione quâdam & imprudentiâ, collutulatur. Atque iſthusmodi piorum Duo ſunt genera. *Quidam* ſunt, ac videri volunt, ſimplices, indocti, & aperti pectoris, veram Prudentiam, tanquam ſeculi hujus pellicem, damnantes, omnique ſapientiâ ac ſcientiâ procul ire juſsâ, ſeſe obſcu-

obscuriſſimis quibuſdam libellis, quos ſpiritus *Paracelſi*, *VVeigelij*, & *Svvenckfeldij*, recoxiſſe videtur, & quorum ingentem ſegetem ætas noſtra reproduxit, mancipantes. *Quidam* Prudentiores prioribus eſſe, & Chriſtianam libertatem admittere putantur, quam verò reapſe proſcribunt, cùm libertati Chriſtianæ, in qua, veluti in circo ſuo, Prudentia Eccleſiaſtica ſe exercet, viam intercludunt, omne licitum vel illicitum opinione ſuâ dimetientes.

Et horum præprimis causâ præſentem tractatulum emittimus, certi, quòd quibuſdam non ſimus, quibuſdam autem ſimus diſpliciturі. Quandoquidem verò ſperamus, fructum majorem, quàm damnum exinde oriturum, noluimus veritatem ſubter modio ponere. Deflenda ſanè eſt illorum puſillanimitas, qui, quod deprehenderunt verum, aliorum oculis exponere metuunt, ſimiles, ut meritò dixit Acutiſſimus Vir p. m. *Jacobus Altingius*, Pontificiis, qui eapropter nunquam proficiunt, quòd ſemper vereantur aliorum ſcandala, & imbecillorum alienationes, ſi quà ſui animi intimos ſenſus, & erutam attentione ſuâ veritatem, aliis propinent. Qui timor aliquando improbus eſſe poteſt. Neque enim oportet nos ſemper aliorum ſcandala, quæ temerè arripiuntur evitare, ubi ingens bonum promovere poterimus, id quod clarè oſtendemus infrà circa tertiam Prudentiæ partem videl. *Diſcretionem.*

Obte-

Obteſtor itaque Te, B. L. ne tuis præjudiciis (quæ ſunt omnis veritatis peſtis) hunc noſtrum laborem invadas, ſed æquâ mentis lance ponderes, ſingulane, quæ hîc extruximus, terno hoc firmiſſimo tibicine nitantur, nempe, *Verbo Divino*, ſanâ *Ratione*, & Virorum Piorum Doctorumque *Authoritate*. *Nam contra Scripturam nemo Chriſtianus, contra Rationem nemo Sobrius, contra Eccleſiam nemo Pacificus. Auguſtinus lib. 4. de Trin.* Noli ergò mihi impingere has vel illas conſequentias (quod eorum plerumque eſt, qui nullis argumentis, ſolâ autem invidiâ veritatem adoriuntur) ac ſi inter alia *Jeſuitarum Regulæ*, quam Loyola miſſionariis ſuis §. 15. impoſuit, faveremus, volenti, ut miſſionarii *omnibus omnia fiant, ut omnes lucrifacere poſſint, ingenio eorum, cum quibus agant, initio ſe attemperent, ita tamen, ut meminerint, ad id tandem eos cum Dei gratia perducere, quod illis in Domino magis conferre judicaverint.* Experientia enim docet, eos eòusque hujus Regulæ ductu aut expoſitione deſcendere, ut non vereantur, unius proſelyti faciundi causâ, alium habitum, ſermonem, religionem exprimere, nec non Evangelium Jeſu Chriſti multis additamentis & fabulis καπηλεύειν *cauponari*, 2. Cor. 2: 17. quod ex Perſica *Xaverii* translatione Nov. Teſt. aliisque hiſtoriis Indicis, liquidiſſimè apparet. Adeoque etiamſi iidem verba Pauli, non tamen facta & fata Pauli imitantur, ſed reipsâ alienum prorſus ſenſum Paulinis verbis obtrudunt. Talis modò B. L. ſis erga nos, qualem alte-

alterum erga Te esse cupis. Faxit Pater Misericordiarum, ut Pietati Prudentiam addentes, omnibus nostris factis & verbis Dei gloriam, & Jesu Christi Regnum promoveamus, & ut quisque

- - - Justo trutinæ se examine penset,
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquus
Partibus ut coëat, nil ut deliret amussis!

FREINSHEIMII,
Non. Octobr.
1683.

P. S.

„ CÆterum monendus es, Christiane
„ Lector, quòd hic tractatulus jam-
„ dudum & in juvenilibus annis compo-
„ situs, itemque non brevi tempore in
„ manibus & sub prelo Bibliopolæ, fuerit;
„ cui hactenus non licuit eundem publi-
„ cæ luci exponere, Patriæ incendiis, ali-
„ isque causis, impedito. Interea & Ego nul-

„ nullam illius curam gessi, sed tanquam
„ amissum inter tot pericula infantem,
„ destitui. Quem autem nunc prodire,
„ adeo informem, non paucis typorum
„ erroribus, multis quoque Authoris si-
„ militudinibus parùm appositis, & durâ
„ hic atque illic, Latinitate, Minervâque
„ invitâ, inelegantem, piget. Quanquam
„ certus sim, contineri etiam in eo, quæ
„ legisse Te non pœnituerit. Vale & fave.
Scrib. LADENBVRGI, postrid. Cal.
Jan. 1692.

INDEX

INDEX CAPITUM.

CAP. I.

Introductio in textum. Prudentia Eliezeri, quâ usque est, in ambeunda Rebecca. Gen. 24: Haud absimili modo par erat, ut discipuli J. C. Prudentiam adhiberent, circa lucrandam Domini sui sponsam.

CAP. II.

Christus hanc regulam, Christianamque & Ecclesiasticam Prudentiam, in specie quidem suis discipulis atque pastoribus, at & singulis in genere Christianis demandavit.

CAP. III.

Agitur hîc de prima Regulæ Christi parte, nimirum de Prudentia in genere, item de variis Prudentiæ speciebus, scil. Prudentia privata, œconomica, politica, carnali, spirituali seu cœlesti, & Ecclesiastica. Et quam illarum hoc loco Christus intelligat? quidve istâ regula præcipiat ac velit?

CAP. IV.

Vbi depingitur Prudentia illa Ecclesiastica seu Christiana, quam hic Christus præcipit. Quid illa sit ac velit? non obligamur ut præcepta positiva semper exerceamus. Theologorum testimonia.

CAP. V.

Specialis Prudentiæ de mandata ratio ac modus videlicet serpentina Prudentia. Locus Gen. 3: 1. explicatur. Ineptæ quorundam sententiæ rejiciuntur. In quo brutorum Prudentia consistat? Alia.

* *

CAP.

CAP. VI.

Altera pars regulæ Christi, nempe columbina, simplicitas, seu sincerus piæ mentis candor. Quid ἀκέραιον notet? In quo consistat columbina simplicitas? Columbæ bilem habent, etiamsi Antiqui Patres id negarint. In Locum 2. Reg. 6: 25. Bocharti & Josephi sententiæ adferuntur. Quid sit esse hominem duplicis cordis.

CAP. VII.

Summa hujusce Ecclesiasticæ & Christianæ Prudentiæ necessitas, & ad quid eâ opus sit, defunctoriè perhibetur. Mentis stupor Deo non placet. Loca Matth. 11: 25. 1. Cor. 1: 26. excutiuntur.

CAP. VIII.

Porro asseritur hujus Ecclesiasticæ Prudentiæ necessitas Christi Salvatoris Nostri & Pauli Apostoli exempla producuntur. Ratione hujus Prudentiæ Apostoli interdum commisêre aut permisêre aliquid, quod alibi omisêre aut prohibuêre. Principia seu Regulæ, quibus hac in re Apostoli sunt innixi. Quomodo Anti-Christus patrem ac filium hujusque ἐπιφάνειαν neget? 1. Ioh. 2: 22. 4. 2. Commissio & permissio longè differunt

CAP. IX.

Prudentiæ hujus necessitas amplius diducitur. Sphalma Petri notatur. Gal. 2: 11-14. Loca ad Prudentiæ Ecclesiasticæ vel confirmationem vel descriptionem facientia examinantur. 1. Cor. 9: 19-22. 32. 33. Rom. 15: 2. Eph. 5: 15. 16. Col. 4: 5. 1. Thess. 4: 12.

CAP. X.

Objectiones quorundam contra hanc Prudentiam, seu

seu placendi & cedendi hominibus studium, quas depromunt ex Rom. 12: 2. 2. Tim. 4: 2. 1. Thess. 2: 4. 5. Gal. 1, 10. refringuntur. Mundi odium in nos, non semper amicitiæ divinæ, aut pietatis nostræ, indicium est.

CAP. XI.

Prudentia in quatuor partes dividitur, Circumspectionem, providentiam, discretionem, cautionem. Circumspectio ad has septem circumstantias; attendit, quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo? quando? prima circumstantias quis? quid sibi velit? scil. nosse se ipsum.

CAP. XII.

Secunda circumstantia, circumspectioni attendenda, videl. quid? Locus Eccl. 7: 16. examinatur. Excedere modum virtutis ac pietatis possumus. Pij non tam in defectu, quam excessu plerumque peccant, & quare? Tristis quorundam pietas Christianam religionem atro carbone notat. Testimonium Rich. Baxteri adfertur.

CAP. XIII.

Circumspectio Tertium circumstantiam, nempe τὸ ubi, observat. Etiam doctas & arte compositas orationes sacro Concionatori habere licet. Diluuntur objectiones, quas proferunt ex 1. Thess. 2. 4. 5. Gal. 1. 10. Chrysostomus, Ambrosius, Bucholzerus laudantur. Testimonia Augustini & Rich. Baxteri. Quid sit, loqui simpliciter?

CAP. XIV.

Alijs objectionibus occurritur, quas ex Rom. 16: 18. 1. Cor. 1: 17. 2: 1. 4. 4: 19. 20. Col. 2: 4. item

ab antiqua consuetudine, & novitatis periculo, petunt, ac contra istas, arte & eruditione politas, orationes jaculantur: Non omne, quod novum est, respuendum. Taciti & Mart. Hundij verba.

Cap. XV.

Circumspectio ad quartam & quintam circumstantiam, nempè τὸ quibus auxilijs, & τὸ cur, advertit. Quid illæ circumstantiæ velint? non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Multorum veterum bona intentio, latam subsequentibus malis viam aperuit. Sibyllarum carmina à Patribus efficta. Quicquid per & propter animi passiones boni agimus, omni laude & virtute caret.

Cap. XVI.

Sexta circumstantia est τῶ Quomodo? Hæc duo poscit, animum scil. serium & sincerum. Adverbia nostras actiones probant. Tristes mores non semper expietate oriuntur. Non obstante animo serio, pijs innoxiæ remissionis genera amplecti licet. Aurea Arnold. Geulincij verba adducere.

Cap. XVII.

Altera pars præcedentis Symboli, aut circumstantiæ sextæ, scil. ἡ ἀκεραιότης sinceritas, cum simulationibus & dissimulationibus quibusdam non pugnat. Stratagemata paris cum simulationibus naturæ sunt. Exemplum medicorum, Theophili Alex. Ep. Jabesitarum 1. Sam. 11: 10. Athanasii, nec non Davidis 1. Sam. 21: 10 - 13. profertur.

Cap. XVIII.

Septima circumstantia, cui circumspectio intenta est, est τῶ quando? Quid illa doceat? Non semper, sed

ſed opportuno, atque quo, tempore proximus commonefaciendus? Graciani elegantißima verba, Exemplum Abigajilis & Iſabellæ Hiſpaniarum Reginæ. Locus Prov. 25: 11. exponitur. Affectuum æſtus multum huic circumſtantiæ officit.

CAP. XIX.

Altera pars Prudentiæ Providentia *eſt. Hæc rurſus duplex munus injungit; primò ut vitam noſtram in tuto collocemus, ſecundò, ne cuiquam ſcandalum præbeamus. Locus Matth 7: 6. explicatur. David prudenter Joabi pœnam in ſerum tempus diſtulit. Locus 1. Cor. 10: 32. non obſtat, quò minus quorundam offenſas vix curæ nobis ducere debeamus. Siſinnius Novatianorum Ep. albas veſtes contra morem publicum geſtans, ineptè eas ex Luc. 9: 29. adſtruere conatur.*

CAP. XX.

Tertia & quarta Prudentiæ pars, nimirum Diſcretio & Cautio. *Illa non tantum bonum à malo ſed optimum à bono ſeligit. Inter permißionem & commißionem maxima differentia. Teſte Eltone Theologo Anglo, Paulus per biennium cultum Dianæ Epheſinæ non impugnat. Act. 19: 10. Quâ arte & fraude Satanas Chriſtum aggreſſus ſit, & quâ Prudentiâ diſcernendi, Chriſtus ejus πανουργίαν calliditatem eluſerit? Matth. 4: 5-7. Cautio impedimenta & obices amovere, obiter dicitur.*

CAP. XXI.

Circa quas res Prudentiæ Eccleſiaſticæ uſque verſari debeat? Quomodo circa res ſacras? in ſpecie circa privatam admonitionem? Hæc omni lenitate & mo-

destiâ temperanda. Doctissimus Junius parentem suum hac de causa laudat. Vix optimi asperiorem admonitionem concoquere possunt, teste Rich. Baxtero. Neque etiam omnes & singuli admoneri merentur. Et quinam?

Cap. XXII.

Prudentiæ hujus usque versatur quoque circa consolationem, & publicè concionandi rationem. Non oportet quemcunque solamine perfundi. Russorum consuetudo, defunctis literas commendatitias apponendi. Mortui in concionibus funebribus parcè laudandi. Homilijs Evangelicis, quas alij compilarunt, non tàm sedulò incubandum. Quare illæ Postillæ appellentur? non à scopo textûs & extra oleas evagandum. Neque merè Practicis & Ethicis auditorum animus semper imbuendus. Concionatorem legalem vel Legis esse (Gesetz-Prediger) vix Evangelio & N. T. temporibus convenit.

Cap. XXIII.

Prudentia Ecclesiastica Anglicanam vel Perkinsianam dictam, concionandi methodum parcè adhibendam dictat. Tantus divisionum, mediorum, motivarum, criteriorum & regularum, cumulus in sacris orationibus imprudenter sæpè congeritur. Iohannes Baptista cur diversam à Christo & inhumaniorem, ut ita loquar, vitæ rationem sectatus sit? Locus Matth. 11: 16. 17. exponitur, Iesuitarum Portugalliæ circa Bengalenses ars.

Cap. XXIV.

Prudentia Eccl. usque versatur etiam circa res civiles & politicas. Consilia & negotia Magistratus non

non temerè arguenda. Sæpissimè fallimur cum Magistratui scopum quendam affingere non dubitamus. Neque concionator Magistratum publicè reprehendere debet. Testimonia Cl. Burmanni & Cl. VVitichij producuntur. Locus 1. Tim. 5. 1. explicatur. Objectiones ex Psal. 119. 46. 1. Sam. 15: 24-30. 2. Sam. 12: 7. 1. Reg. 18: 18. refelluntur. Ambrosii & Chrysostomi superbior zelus notatur. Laudatur Prudentia Vsserij carpentis Cromvvellum.

CAP. XXVI.

Prudentiæ Eccl. usque versatur etiam circa ritus tùm in Ecclesia tùm in Politia adiaphoros. Particularium Ecclesiarum ceremoniæ, inter quas vivimus, non aspernandæ. Organi musici in templis usus illicitus non est. Cel. Cocceji testimonium. Neque publici forenses ritus temerè culpandi. An liceat proinde elegantibus vel etiam ad recentem morem consutis vestibus amiciri? Primorum Christianorum Pallium. Exempla & historiæ quædam ad rem adferuntur. Objectio ex Zeph. 1: 8. tollitur. Augustini sententia.

CAP. XXVII.

Quæritur an Prudentia Eccl. permittat, illos reprehendi, tanquam superbos, quivel longioribus capillis comam alunt, vel apposititijs calvitium dissimulant? Locus 1. Cor. 11: 14-16. excutitur. Verba Ambrosii & Piscatoris adducuntur. Quas ob rationes veteres plerumque comati fuerint? An & illi indiscriminatim objurgandi veniant, qui lautioribus interdum cibis, vel pretiosiore aut pulcriore supellectile &c. utuntur? Historia Marthæ & Mariæ elucidatur. Cocceji verba citantur.

CAP.

CAP. XXVIII.

Hic agitur de quarta Prudentiæ Parte videl. Cautione, quæ removendis impedimentis occupatur. Impedimenta autem, quæ Prudentiæ Eccl. obicem ponunt, sunt plerumque vehementior animi passionum fervor, vita monastica, importunior Neo-Christianorum Iuniorumque Pastorum Zelus, insciția, & præjudicia, Timon Athenienſis notatur. Locus 1. *Reg.* 19: 11. 12. *evolvitur.*

CAP. XXX.

Reliqua Prudentiæ Eccleſiaſticæ impedimenta ſcil. Inſcitia & Præjudicia adducuntur. Poſt verbum Dei, etiam hominum, quibuscum converſaris, indolem & externarum nationum mores ac cerimonias noſſe, & ut noſcas, in alias terras excurrere, expedit. Iaponiorum mores è diametro noſtris adverſantur. Locus Phil. 4: 8, *reſolvitur. Triſtitiæ ſecundum Deum non prorſus adverſatur lætitia animi, quæ in os erumpit. An Ieſus Chriſtus nunquam riſerit. De* ἀγελάστοις *veterum. Eraſmi de urbanitate Socratis judicium. Rintelenſium de nobis. Alia.*

CLAUSULA.

Matth. X. 16.

Γίνεσθε οὖν φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί.

Estote igitur Prudentes ut serpentes, & simplices ut columbæ.

Cap. I.

Introductio in Textum. Prudentia Eliezeris, quâ usus est, in ambeunda Rebecca. Gen. 24. Haud absimili modo par erat, ut discipuli J. C. prudentiam adhiberent, circa lucrandam Domini sui sponsam.

Legimus Gen. 24. singulari prudentia usum Eliezerem, Abrahami servum, cùm Missus esset, ut sponsam Heri sui filio Isaaco ab exteris adduceret. Quo enim animos & Rebeccæ & parentum mitigaret, flecteretque, statim, etiamnum apud puteum stans, antequam vel verbulum fecisset de negotio, quod sibi esset impositum, petendisque nuptiis, *aurea monilia, armillasque* puellæ porrigit. v. 22. postea verò cùm limen parentum, patremque *Bethuelem*, forsan decumbentem, filiumque *Labanem*, parentis munere, hac in parte, fungentem, salutâsset, & facilè didicisset, aures Labanis non æque prædicandis virtutibus, ac nummis, patere, hanc occasionem arripiens, Heri sui *oves, boves, argentum,*

aurum, servosque & ancillas, camelos & asinos longo ordine diducit v. 35. Hâcque ratione Heri sui filium de meliore nota commendat. v. 36. ejusdem probitate, castitate morum, & religionis silentio prætermissâ. Non est hic locus ponderandi fasve nefasve hujus facti. Alii vel excusent vel damnent! Confer *Lydii ritus spons.* Nos imitabimur illum Herum, qui œconomum laudavit, quòd prudenter egisset. Et quidem Eliezer, operto veluti hamo piscator piscem, fallere, vel sicut venator feram, illaqueare studet, pro utriusque more, genio hominum, temporique, se & sermones suos adæquans. Is sanè infelix venator est, qui nemora clamoribus implet, & non viridi feras allicit, sed nigrâ veste terret. Non captat auceps aves excussis lapidibus, sed dulce canenti, & loquelam avium imitanti fistulâ. Operam ludat oportet, qui insidiaturus rostrato isti gregi, velut μορμολύκειον & terriculamentum, sese pannis & ex uviis pecorum circumcingit, licitis fraudibus & viridantibus latebris flocci pensis. In oceano qui piscantur, *ubi cetum infixo* spiculo, adnexoque fune tenent, *non statim illum* ad se trahunt, ne vi suâ piscatores cum navibus abysso demergat, sed filum funemque eò usque cedunt, dum omni sanguine ac viribus piscis sit ex haustus.

Deus T. O. M. filio suo, cujus Isaacus egregius Typus erat, inter exteros ἐκ ξένης sponsam destinarat, quoniam in Canaane habitantes, & in Cananæorum mores transmigrantes Judæi, tanquam *sui eum accipere noluerunt. Ioh.* 1: 11. quemadmodum autem sine dubio Isaacus, qui jam annum qua-

quadragesimum ætatis attigerat. Consilio patris assensus est, simulque servum emisit, mandatis ad sponsam humanioribus verbis; Sic & Dei filius, dulcissimus noster Jesus, consilium pacis fœdusque cum Patre iniens, primores suorum servorum, Apostolos, tanquam υἱὸς τῦ νυμφῶνος, *thalami filios*, ac pronubos matth. 9: 15. in omnem terram ablegavit, ut sibi, ceu alteri Isaaco thalami, bonorumque omnium sociam, blandissimis labiis, & singulari quâdam prudentiâ conciliarent. Est tamen hic non exiguum discrimen. Rebeccæ animus pronus inclinabat in futurum maritum, propterea-que servum Abrahami humanè exceptum, omni solicitudine liberat: cùm contrario planè modo, Apostolis res esset cum immisericordibus ac præduris, morumque ferocitate humanam naturam egressis, cum *subus*, ac *canibus Matth.* 7: 6. *Phil.* 3: 2. *viperis* matth. 12: 34. cum *lupis Matt.* 7: 15 h l. cum *leonibus* atque *ursis*, *Prov.* 28: 15. cum uni *cornibus* & *robustis juvencis Psal.* 22: 13. 21. 22. cum spumantibus *apris. Psal.* 80: 14. Hinc cautè progrediendum Apostolis, ipsosque tanquam spirituales venatores hominum, omnem operam navare oportuit (1) ne quâ importunè istas feras, à quibus discerpi poterant, in sese irritarent, sed potius cicures, captasque redderent, ut eò pacto, *lupus cum agno, pardus cum hædo commorarentur, & Leo sicut bos stramen comederet. Esai.* 11: 6. 7. 65: 25. Sive, discipulis omnis labos eò impendendus, ut quâvis, æquâ tamen, & etiam vitæ habitâ, ratione, gentes extra Ecclesiæ pomœrium eliminatæ, *& derelictæ, Dei sponsa atque deliciæ fierent Esa.* 62: 4. 5. in propioremque

thalamum adducerentur. (II) Ne tamen isti suo nisui atque labori, alium scopum præfigerent, quàm Dei gloriam, proximique salutem; neve animum intenderent in lucrum, commodum, laudem, honoremque proprium. Itaque emissurus salvator N. J. C. Apostolos, hanc ipsis viæ vitæque Regulam injunxit: *Estote prudentes ut serpentes, & simplices ut columbæ.*

Ne putemus, præsentia verba amplioris explicationis non indigere. Sæpè enim nobis aliquid clarum dilucidumque esse videtur, quod tamen vel obscurum est, vel clarius reddi potest, ubi factâ illius anatomê omnes ejus partes denudamus, penitiusque introspicimus. Idcirco hic tria contemplemur: I. *Cui Christus hanc via vitaque regulam demandarit?* II. *Quidnam ista regula præcipiat ac velit?* III. *Quare & ad quid, ipsa illa necessaria sit?*

Cap. II.

Christus hanc regulam, Christianamque & Ecclesiasticam Prudentiam, in specie quidem suis discipulis atque Pastoribus, ut & singulis in genere Christianis, demandavit.

I. QUibus hîc Salvator N. hoc prudentiæ genus commendat, sunt discipuli ipsius, homines ingenii stupiditate, & animi segnitie, ad intelligendas altiores doctrinas, inidonei. *Marc. 6: 52. Luc. 18: 34.* Quare sæpius à Christo ἀσύνετοι *Matth. 15: 16. inadvertentes*, νήπιοι, *infantes cap. XI: 25.* quam vocem LXX *Psal. 8: 2.* aptissimè adhibent, nuncupantur. Non confederant in Iudæorum scholis ad pedes docto-

doctorum, veluti Paulus. Nec imbuerant mentem civili, Ecclesiasticâque prudentiâ, ad vel fallendas vel capiendas animas; sed tempus inglorià arte terentes, post sepes abjecti jacebant. Scil. sagenas parare, retia abluere, fiscellas atque corbiculos è juncis contexere, noctes, piscesque in lacu fallere, hoc opus hic labor erat. Adeoque serpentinam iisdem prudentiam præcipere, tantundem esse videtur, ac stupidissimis ruricolis architectonicæ artis & scientiæ professionem imperare. Quis enim nescit eorum Iphalmata, offensas ac imprudentiam? quoties ab hac prudentiæ regula deflexerunt, aliis cedere nescii? *Luc.* 22:24. In Samaritanos, quorum animum flexili sermone demulcere debebant, ita commoventur, ut picis, flammarumque imbrem in ipsos cœlitus derivare vellent. *Luc.* 9: 54. Petrus, cum hostes illos, quos S. Scriptura *canes, monocerotesque*, vocat, quique *Matutinam Cervam* Ps. 22: 1. insectabantur, prudenti mansuetudine pro ratione loci ac temporis, à cœpto avertere, & mitigare debuisset, *ensem educit, auriculamque Pontificis servo abscindit.* Ioh. 18: & sic eosdem plus lacessit.

Compesce verba, parce jam demens minùs,
Animosq; minuè. Tempori aptari decet. Senec. Med. act. I.

Nihilo secius non in cassum hoc prudentiæ præceptum à J. C. datum. *Distinguamus modò tempora & conciliabimus scripturas*, veterum diverbium est. Multa enim Salvator N. discipulorum auribus infuderat, quæ nec intellexêre nec præstitêre, usque dum Christus ex mortuis suscitatus & à cœlis receptus,

ceptus, Spiritum S. tanquam *Novum Munus*, clariorem que mentis aciem, ac reliqua Regni sui bona, copiosissimè ipsis donasset. Habebant quidem discipuli fidem, sed velut in exiguitate sua latentem, quam fulgidiorem gratiosa Sp. S. effusio dedit. *Matth.* 13: 12. Quapropter hîc non superabundat vocula ἂν, cùm v. eodem 16. præcedat; *Ecce ego mitto vos, ut oves in medio luporum*: q. d. Jam νήπιοι, infantes & insipientes estis; ubi autem Spiritus S. vos in omnem sapientissimam veritatem, veramque prudentiam, manuduxerit, quod proximè futurum est, mittemini quidem, ut oves inter lupos, sed verâ prudentiâ, sanctitate, ac amore imbuti, ut serpentes circumspectè vos geretis. Et quamvis ipse vobis prudentiam istam sim procuraturus, nil tamen obstat, quominus etiam eandem vobis, ut hominibus, & creaturis rationalibus, præcipiam.

Quùm verò cujusvis Christiani hominis studium esse deceat, non in cinerem, flammasque, vertere DEI templum, sed excitare, struere, atque ornare, nec tantum votis & prece regnum Dei, sed & operâ, quantum potę, promovere, ut ita *locus tentorii dilatetur, & aulæa habitaculorum* Ecclesiæ *extendantur*, uti Esaias loquitur *cap.* 54: 2. quod fit, ubi proximus proximi salutem quærit, fraterq; fratrem, pius improbum, hortari, erudire, monere, & cœli candidatum efficere, laborat; facilè hinc patet, non Solorum vel Apostolorum, vel Pastorum, officium esse, sanctâ prudentiâ circa lucrandas Christo animas, uti, verùm etiam singulorum fidelium. *Fructus justi arbor vitæ est, & capit animas sapiens. Prov.* 11: 30.

Cap.

CAP. III.

Agitur hic de prima Regulæ Christi parte, nimirum de Prudentia in genere, item de variis Prudentiæ speciebus, & quam illarum hoc loco Christus intelligat, quidve istâ regulâ præcipiat ac velit?

II. HÆc regula, quâ Christus suis inculcat, ut *prudentes sint sicuti serpentes, simplicesque sicuti columbæ*, duo comprehendit, nimirum præceptum & de *serpentina prudentiâ, & columbina simplicitate.*

Prior pars rursus duo involvit (1) generale præceptum; *estote prudentes* (2) specialem rationem ac modum; *sicuti serpentes.*

(1) *Estote prudentes*, γίνεσθε φρόνιμοι, Werdet klug. Aliud est *sapientem*, aliud *prudentem* esse, quamvis sapientia & prudentia in S. scriptura plerumque commutentur. *Sapientia* est mera scientia illius, quod ratio docet. *Prudentia* praxin spectat, & dictamina rationis persequitur. Non est hic sermo de priori, sed posteriori. Ut autem hanc prudentiam clarius contemplemur, dicimus in genere, eam esse, *Virtutem seu firmum animi propositum, constantemq; voluntatem, id agendi, quod ratio optimum esse judicat.* Sex hujus ita descriptæ virtutis, aut potius omnium virtutum Reginæ, species existunt, quarum singulæ hanc definitionem adrogare sibi possunt.

(A) *Prudentia privata*, quæ cuivis hominum observanda: Duas illa leges dictat. *Primò*, ut quisque, *judex ipse sui totum se exploret ad ungnem*,

corporisque ac animi vires tentet, &, prout illæ jubent, vel sinunt, provinciam eligat, quæ sibi, & cui ipse, sufficiat. Hoc pacto alius aliud vitæ institutum, cui par erit, sectabitur, & quisque suam provinciam exornabit. Dispiciendum hîc, num corpore & ingenio debili, an vasto, simus? num mens obtusa, an acuta, corpusve læsum an integrum; num animus festivus, an difficilis? &c. Et sic sequendum τὸ βούλημα τῆς φύσεως, ut loquitur *Epictetus*, *naturæ propensio*. Secundò, ut eam vitæ conditionem, provinciamque, quam semel, ratione ita jubente, amplexi sumus, non facilè abjiciamus, nec de una in aliam, levi ansâ & ipe melioris, aberremus, nisi summæ necessitatis ratio aliud jusserit. Multi, qui veluti temeritate quâdam ad hanc illamve vitæ conditionem ac studium propulsi sunt, levi tædio abducuntur, & circa varia vitæ instituta volitantes, cum ipsa paupertate concertant. *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, ἐν τούτῳ μενέτω, in ea persistat.* 1. Cor. 7: 20.

(B) *Prudentia Oeconomica.* Hæc rem domesticam attendit, Uxorem, filios, servos, moderatur, atque cunctis necessariis providet. Vult illa ut honesto labore nos atque nostros enutrire non tantum, sed & plus acquirere studeamus. Plus habendi studium non ponendum inter vitia, sed animus fastu, avaritiâ atque voluptate subactus, quique φιλαυτίας ἕνεκα sui solius causâ divitiis inhiat. Ubi itaquevel parsimoniâ ac frugalitate, vel honesto quæstu ac arte, rem adaugere possumus, ad illud lege hujus Prudentiæ obligamur. *Liberalitas enim ita temperanda est, ne nimiâ profusione inarescat,*

ſcat. Plin. lun. Verùm petſæpè ipſa avaritia frugalitatis titulo ſuperbit, & vappa vinum mentitur. Providendum ergò, ne, dum rerum parci eſſe ac videri volumus, ſordidâ illiberalitate maceremur.

(C) *Prudentia Politica.* Hæc Regnorum gubernacula ac contos regit, atq; Regum Principumque ſolertiſſima magiſtra eſt. Sine hâc florentiſſimæ etiam Respublicæ peſſum eunt. Degeneres Jurisprudentiæ filii, Themidisque non ſacerdotes ſed ſtupratores, quos ſeculum Politicos malè vocat, ſæpè caſtiſſimam hanc virginem defloranț, & dum aſtu, tricis atque plicis, mendaciis, ac fraude agunt, Prudentiæ Politicæ titulo hæc ſcelera palliantes, eandem ſummo deſpectui & habent & reddunt. Hinc nequiſſimum Mangonem, Politicum nominari, conſuetudo invaluit. Inſignia & aſtutiæ & Prudentiæ Politicæ exempla, in *libris Regum ac Samuelis* deprehendit, & produxit, *Theodorus Reinking*, *Cancellarius Daniæ*, *in Politia ſua Bibl.*

(D) *Prudentia Carnalis.* Hæc eſt illa σοφία τȣ̃ κόσμȣ *mundi ſapientia.* 1. *Cor.* 1: 20. quâ υἱοὶ τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ *filii hujus ſeculi*, *lucis filiis*, piisque, multùm præcellunt. *Luc.* 16: 8. Er ſanè hæc eſt illa, quam Prudentiæ Politicæ minio plerique ferè tingunt. Huic operam dant illi, qui omnes ingenii, memoriæ, ac virium reliquarum nervos intendunt, ut per fas & nefas, non ſine dolo, honorem, titulos, laudem amicos, prædia provincias, nummos ſibi comparent, ac conſervent; Poſſeſſoresq; expungant;

- - - qui fronte politi,
Aſſutam vapido geſtant in pectore vulpem.

quemadmodum ille *Oeconomus, quem laudârat Herus, quod prudenter egisset.* l. c.

(E) *Prudentia spiritualis & cœlestis*; quæ cœli terræque pondus ac momentum examinat, & inanitate hujus deprehensâ, cœlestia sitit, in altumq; suspiria mittens, terrestres glebas, mundanasque sordes contemnit. Hæc est, quâ illæ παρθένοι φρόνιμοι, *virgines prudentes* claruêre. *Matth.* 25: 2. 3. Hâc virtute, seu omnium virtutum summâ, cuncti fideles, iique soli, ac omni tempore, veluti pretiosissimâ gemmâ, nitent, similes illi negotiatori, qui visâ μαργαρίτῃ πολυτίμῳ *margaritâ æstumatissimâ, omnia venundedit, & emit eam. Matth.* 13: 46. Prævidens, quòd quæstum ἑκατονταπλασίονα, *centuplicem*, sit inde consecuturus. *Matth.* 19: 29. Isti sunt, quos *Hiobus, David,* ac *Salomo,* in suis libris *Sapientes, Prudentes*, nuncupant, iisque impios tanquam *stultos* ac *fatuos* opponunt; Verissimè enim *Timor Domini* חכמה, *sapientia est, & recedere á malo* בינה *prudentia. Hiob.* 28: 28. Cùm contra insipientia major esse non possit, quàm exiguâ voluptatis guttâ immensum gaudii mare; & momentaneâ æternam gloriam, levissimo teruncio, nitidissimum unionem; &, quod Lysimachus fecit, frigidâ, Regnum, aut *coronam immarcescibilem*; viridi rubroque vitro, aut ferro, cultellove, quemadmodum Indi, splendidissimas gemmas, commutare. Habeat ergò nubem pro Junone, & carbones pro thesauro, *Cardinalis ille Bourbonius*, qui frequentissimè dicere solebat, Rhytmo Gallico: se malle portionis suæ in Paradiso, quàm redituum in agro Parisiorum, damnum pati.

De

De nulla harum Prudentiæ ſpecierum Chriſtus h. l. ſermonem inſtituit, neque etiam de ultima, ſive *Prudentiâ ſpirituali*, quam jam modò explanatam dedimus. Iſtam enim prudentiam diſcipuli dudum fide ſuâ in filium DEI præſtitêre, omnibus, quæ poſſederant, relictis, & Regni cœlorum gratiâ, quaſi venditis. Neque enim hoc præceptum Chriſti h. l. ita explicare licet, ut tantundem ſit, ac ſi Salvator N. dixiſſet; ite, *omnia* animo & affectu veſtro excutite, renuntiate, *abnegate*, propter me & cœlorum regnum, ſive, ut uno verbo complectamur, *credite in me*, Hominis, Deique, Filium. Siquidem jam cuncta ita abnegaverant, fascesque Chriſto ſubmiſerant, tanquam unico ſpei, amoriſq; ac fidei ſuæ, oblectamento. Hæc animi & ſimplicitas & ſumma prudentia erat. Altiori autem prudentiæ gradu opus fuit, cùm in gentes abeundum, Evangeliique radii ſpargendi forent. Non ibidem Chriſtus diſcipulos ad primordia pietatis remiſit, ſed ad ſublimius faſtigium, & ferè ſupremum Chriſtianiſmi culmen erexit, quod, cùm non ſit proprium quarti modi, ut ſcholæ loquuntur, in fidelibus, nec omnes pii attingunt. Solis quidem fidelibus hæc prudentia familiaris eſt, at non ſingulis, neq; ſemper & ubivis ab iiſdem exercetur. Quid? quod, ſi Chriſtus diſcipulis ſuis *Cæleſtem* iſtam *prudentiam*, ſive veram fidem ac pietatem, hoc præcepto inſtillare voluiſſet, non opus fuiſſet, ſpecialem illam prudentiæ rationem ac modum, *ſicut ſerpentes*, addere. Neceſſe ergò eſt, ut h. l. intelligatur,

(F) *Prudentia Christiana sive Ecclesiastica aut Theologica* specialior, de qua cap. sequ.

Cap. IV.

Ubi depingitur prudentia illa Ecclesiastica seu Christiana, quam hic Christus præcipit. Quid illa sit ac velit? Non obligamur, ut præcepta positiva semper exerceamus. Theologorum testimonia.

Hæc specialior Apostolis, quin cunctis Christianis, demandata *prudentia Ecclesiastica vult, ut omnes nostras virtutes & affectus, pietatem mansuetudinem, facilitatem odium iramque adversus peccata, externum habitum, gestus ac mores, uno verbo, quicquid amoris Dei ac proximi impulsu, vel omittimus vel agimus, ita moderemur, ne Dei nomen profanetur nec proximus arrepto scandalo à verâ fide avertatur, inque nos arietet, sed potius sub ζυγὸν χρηστὸν Iugum teneat mite salvatoris* N. *flectatur.* Nam, ut fusè post modum demonstrabimus, & pietate nostra subinde alios offendere, Regnoque Dei damnum inferre possumus. Non quòd præstet nonpium esse, sed quod Luculentissimæ hujus facis radios aliquando retineri oporteat, juxta illud Salomonis *Eccl.* 8: 4. 5. *Tempus ac rationem novit cor sapientis. Cuique enim instituto est tempus* suum *& ratio.* Quæ hîc nobis objectari possunt, postea sub examen & incudem redigemus. Quanquam verò peccare nunquum liceat, non tamen tenemur huic illive virtuti semper, & ubivis operam dare, aut, si mavis scholarum linguam audire, *Virtutes semper obligant, sed non ad semper.* Non vide-

videtur ab re esse, aliquot testes adducere, ut eorum ore veritas firmius stet. Piissimus quidam ac simul prudentissimus Theologus Bremensis, hæc verba, quæ latinè reddimus, habet: *Non tantùm semper, sed & ad semper, homo obligatus est nulla scelera committere, qualia sunt, Deum abnegare, calumniari, mentiri, fallere, fornicari, adulterare &c. Verùm non ad semper obligatus est hîc, illicve, templa frequentare, huic illive divino cultui sese applicare, hoc illudve charitatis opus proximo exhibere: Quamvis enim cuncta divini cultûs & Charitatis externa opera, in thesi, sive in se ipsis spectata, bona sint, eorundem tamen præsens exercitio tum demum ac tantum bona est, ubi omnes necessariæ circumstantiæ eandem comitentur. Quapropter verus in Deum amor, opus suum duabus quasi manibus formet, sinceritate nimirum & prudentiâ. Absque quâ sæpe aliquis opus bonum, quod aliis & sibimet ipsi ita videri potest, exerit, quod accidenter bonum non est, omittique præstitisset. Marc. 7: 36. quoniam aut is qui exeruit, aut is qui recepit, bonum opus, non eâ animi dispositione, & commodô mentis statu fuit, qui par erat; quod tamen prudenter observari debuisset. Sicque vel temporis, vel loci opportunitas, vel justus zelus, vel denique debita humilitas, opus illud destituit, aliudve longè melius, ad quod agendum eo tempore plus obligabamur, omissum, aut etiam occasio atque ansa, Dei gloriam abundantiori modo imposterum promovendi, præcisa est, quod factum non esset, si circumspectius egissemus.*

Audiamus & inter Theologos Anglos, rigidæ plerumque pictatis statores, *Eltonem in Coloss. 4: 5. p.*

5. p. 641. ubi ita: *VVel must learne et marke a difference of good things, that are to bee done by us: Some are such good things, as reach not to all times of this life; Such, as are not to bee done at all times, but are limited to some particular time, and are to bee done in some particular time et season; as hearing & reading the vvord of God, et reading other good bookes, Conference, set et Solemne Prayer, giving good Counsell, admonition, reproofe, giving almes, et the licke. Though these bee good things, that vvee are to doe, yet the doing of them, is not bound to all times et so the opportunitij of doing these things, et the licke, is onelij then, vvhn the Lord doth vouch safe us meanes et abilitij, et just occasion in respect of time, place person & other circumstances &c. Discrimen ponendum inter opera bona, præstanda nobis. Quædam non conveniunt omni vitæ tempori, sed certo puncto, & commodæ occasioni, vid. Dei verbum, aliosque pietatem fundentes libros, audire, legere, de cœlestibus sermones conferre, statas dicatasque precibus horas observare, consilium præbere, admonere, reprehendere, eleemosynas largiri &c. Quamvis verò opera ista bona sint, atque à nobis piè exercenda, præsens tamen illorum actio omni tempori alligata non est; Sed opportuna occasio præstandi illa & similia, tunc est, quando nostra agendi ratio, promptitudo, & occasio, Deo digna ac tempori, loco, personæ, aliisque circumstantiis, ex omni parte commensurata est.*

Ex quibus ad oculum patet, nos ad *leges positivas* non obstringi omni loco ac tempore, quales sunt, ut templa invisamus, lectioni sacrarum literarum, audiendis sermonibus, preci, vacemus, solatio & eleemo-

eleemosynâ indigentes mulceamus, cantemus &c. E. G. Cantare, bonum piumque est; quin jubemur, si quis εὐθυμεῖ *bono animo est.* Iac. 5: 13. quid autem, si quis clementi alloquio serenâque fronte à Magistratu aut Rege exceptus, dimissusque eaptropter animum, cantumque sonorum, effundere coram illis velit? Nonne Rex ad suos aulicos, quod Achis de Davide, dicet: *Careone amentibus ego, quòd adduxistis hunc, ut insaniat apud me?* I. Sam. 21: 14-16. Quantum verò ad *leges negativas*, vid. Non furaberis, non blasphemabis, non occides, non mœchaberis, non coles Deum alienum &c. Obligant illæ omnes homines, omni temporis puncto ac loco.

In prioribus autem rebus & circa leges positivas, ut serpentinâ prudentiâ polleant, Christus suos discipulos monet: *Estote prudentes ut serpentes.*

CAP. V.

Specialis prudentiæ demandatæ ratio ac modus, vid. Serpentina prudentia. Locus Gen. 3: 1. explicatur. Ineptæ quorundam sententiæ reiiciuntur. Verus verborum Christi sensus eruitur.

(2) SPecialis prudentiæ ratio in hoc consistit, ut sint discipuli prudentes, *sicut serpentes.* Nihil certius, quàm Christum respicere Locum *Gen. 3: 1.* ubi de serpente dicitur, quòd fuerit עָרוּם, *astutus, prudens*, quam vocem LXX. per τὸ φρόνιμον exprimunt. Οἱ δὲ ὅρις ἦν φρονιμώτερον πάντων τῶν θηρίων. Dedecet nos Judæorum fabulas captare, atque opinari, serpentem in rerum omnium

um Exordio, erecto capite incessisse, & rationis atque sermonis usum habuisse. Licet enim *Gen.* 3: 1. extet; *Serpens erat prudentior &c.* id tamen impropriè intelligendum. Illi tantùm creaturæ prudentia propriè adscribi potest, cui intellectus, mens, ac ratio. Impropriô loquendi modo, de quibusdam animalibus dicere possumus ac solemus, quòd prudentia aut prudentiora sint; nimirum, quando sui sanguinis naturæque insitæ impulsu, quicquam agunt, aut agere apta nata sunt, quod rationis speciem præ se fert. & ad prudentis ac ratione pollentis hominis actionem propé accedere videtur. Mirum, quod quidam animalibus rationem, & sic mentem, adferant, cum quibus tamen hîc digladiari, ratio ac prudentia vetat. Neque hîc juvat Philosophum ad S. scripturam refugere, ut quæ animam, quàm in animalium sanguine esse, ac consistere, ait, sæpissimè pro ipsa vita capit. Sed cedamus, animam hîc pro ipso animalium intellectu sumi; quid tum, cùm corporeus eorundem intellectus (liceat ita fari) ex & in sanguine existat, humana verò ratio ac intellectus à sanguinis substantia tàm longè, imò longius, absit, quàm cœlum à terra, nullamque planè cum rubicundo isto flumine affinitatem habeat? Quò ergò subtilior, fluidior, & vividior, animalium sanguis est, eò prudentiora aliis existere, dici possunt. Qualia sunt, equi, elephanti, vulpes, simiæ, canes, atque serpentes &c. Et sanè eodem ferè modo se res cum hominum Prudentia ac Ratione habet. Non quòd Humana ratio in sanguine consistat, sed tamen propter arctissimam illius sive mentis

cum

cum corpore coadunationem, plerùmque temperamentum & sanguinis dispositionem sequatur. Hinc est, quòd quibus vividissimo ac calidissimo præcordia sanguine fervent, iisdem perspicacior mentis acies plerùmque insit.

Præterea Sumus Naturæ Moderator rem ita disposuit, ut quædam animalia, singulari sanguinis fluxu, veluti rotulis suis horologiorum machinæ, ad singulares quasdam actiones, dicam potius passiones, ferantur, quæ actionum humanarum quasi imitatrices simiæ sunt. Hinc quidam, quos veræ philosophiæ studium supra vulgum non extollit, vix sibi persuadere possunt, ipsissimam mentem sub exuviis istis non latere. Exempla quædam, humanam rationem propemodum imitantia, de equis, canibus, elephantis, *Camerarius Hor. Subcis.* de cervis, *Plin. hist. nat. l.* 22. c. 22. de variis animantibus, *Le grand de carentia sens. in Brutis* adducunt. Unde apparet, qualis prudentia serpentum sit: vid. illi ad actiones quasdam, sanguine suo, instinctuque naturali, adiguntur, quas ob similitudinem & affinitatem humanarum, admiramur, prudentiamque nominamus. Hûc pertinent, quæ legi possunt, apud *Bochartum in Hieroz. Vrsinum in Nomencl. animal. Bibl. item Franzium Hist. animal. Et Gerhardum in h. l.* Consideremus hîc quasdam illarum, videamusque quas prudentes serpentum actiones, & quas non, discipuli imitari jussi sint.

Basilius putavit, Christum his verbis respexisse antiquum illum serpentem, Diabolum, suosque discipulos commonuisse, ut ipsi eâ prudentiâ uterentur

rentur circa dilatandos Regni cœlorum limites; quâ ille Serpens, circa intricandos protoplastos, *Gen.* 3: Non damnanda hæc opinio, discernenda tantùm. Absit, ut imitemur πανουργίαν tortuosi & multiplicis illius draconis, at nec debemus dedisc-cere prudentiam, eò quòd Satanas prudens, aut potius astutus, sit. Nemo sobrius in Logicam de-spuit, quòd Sophistæ quidam, & Scholasticorum examen, illam adulterent. *Abusus non tollit usum.* Vult ille pater; quòd, quemadmodum Satanas, tanquam callidissimus serpens, ad omnes circum-stantias caput circumspectè circumtulerit, sedu-cturusque parentes nostros, ad personam, locum, tempus, occasionem, medium ac finem, prudenter animum adverterit, sic discipuli Christi omnem diligentiam prudentiamque, perpensis omnibus circumstantiis, adhibere debeant, ut animas Do-mino suo lucrentur. Verum quidem est, Satanam vaferrimum sese impostorem gessisse, aggredien-do fœminam, & forsan absente tum viro, atque in ipso Paradiso, Dei quasi ambulacro, nec non per anguem, blandissimum forsean tum temporis bru-tum, sinuosoque verborum volumine; non tamen verisimile, hîc à Salvatore N. ad istam satanæ va-fritiem respici; *tùm* quòd numerus pluralis, *serpen-tes*, extet; *tùm* quòd alterâ voce, *Columbæ* Christus singulare aliquid minimè intendat.

Ut alias opinionum nænias transeamus, non omittendum, esse quosdam, qui putent, propte-reà Christum suos ad serpentum prudentiam re-misisse, ut, quemadmodum serpentes icti, caput occultant, sic & ipsi suum tueantur. *Per caput* au-tem

tem quidam *Christum* intelligunt, *Col.* 1: 18. ac si SalvatorN.ita dixisset:quicquid egeritis,persistite in fide ac veritate, neque vos à me, & me, tanquam Caput, à vobis, ullâ fidei veritatisque abnegatione, abscindi sinite. Vitam, bona, sanguinem, honorem atque famam, mei retinendi gratiâ, lubenter profundite. Sed hic verborum Christi scopus esse non potest, hanc enim Christianam fortitudinem non tam serpentina prudentia, quàm Columbina simplicitas, seu animi sinceritas, præstat. Hinc ex historiis Ecclesiasticis liquet, sæpius ultimæ sortis & simplicitatis homines Martyrii coronâ redimitos esse. Quid, quòd hâc ratione Christus idem columbinâ simplicitate, quod serpentinâ prudentiâ, indigitare voluisset? Alii, qui propius accedunt, remq; modò non acu tangunt, *per Caput vitam* intelligunt, q. d. Mitto vos inter brutos homines, cavete vobis, veluti serpentes, ne quam Capitis vestri, seu vitæ, jacturam faciatis. Non prodigos illius vos, sed parcos esse, nec temerè & intempestivè pericula subire decet, longa enim vobis tela pertexenda est. Opinio hæc satis congrua. In hoc tantùm peccat, quòd verba Dei, strictiori, quàm par est, significatione coarctet. Non hîc locus est differendi, an, quomodo & quando, fugâ salutem quærere, & propter persecutionem, ex urbe in aliam transfugere v. 23. h. l. liceat, salvâ in Christum fide & confessione v. 33. Nec quæremus hîc, annon interdum certum periculum constanter præstolandum, quod Paulus fecisse videtur, qui contra omnium dehortationes Hierosolymam ascendit, pluresque in primitiva Ecclesia

fideles, qui exclamando, *Christianus sum, Christiana sum*, Martyrii gloriam appetierunt; Ad quod posterius tamen, ut & ad factum Apolloniæ, quæ in ignem, quo torrenda erat ab hostibus, animi magnitudine, se ipsam conjecit, pollicem attollere non possum, vide *Young of the first tea persecutions* sive *de decem primis persecutionibus*. p. 80. &c.

Ut autem ad Rhombum redeamus, dicimus, Christum in genere Serpentum naturam ac impulsum spectasse, ut qui in primis duo agere à natura edocti, & sic prudentes sunt. *Primò* enim Caput suum, in quo omnis vita reposita est, præsenti periculo subducunt, ac occultant, & sic defensivè agunt. *Secundò* aliis etiam brutis damnum, dentemque opportunè inferunt, & sic offensivè, uti vulgò loquuntur, agunt. Hinc olim Phænices, Græci, Ægyptii, postea Samogetæ, Porussi, hodieque Chinenses & Calecutenses, rationem, ac plusquàm humani aliquid, his brutis inesse rati, divinum cultum illis detulêre. Hic itaque verborum Christi sensus est: *Semper inter Sacrum Saxumque versabimini, à fronte præcipitium, à tergo lupi erunt* v. 17-23. *prudentiâ superate, quod vi non potestis. Parcite vitæ vestræ; neque brutorum hominum dentes ungueſque in vestram perniciem lacessite vel operibus, vel dictis vestris. Nolite cum fatua illa Grue caput, seu vitam faucibus lupi inferere.* (ערום *prudens videt malum & abscondit se, fatui transeunt & mulctantur. Prov.* 27: 12:) *ut ita multis superstites prodesse, & Evangelii latices quaquaversum dispergere possitis. At verò hoc satis non est, ita vobis ipsis providere, &, prout loquuntur, defensivè agere; etiam omnis licita ratio,*

ratio, media, ac via, venanda, quibus ferocientes domare, ac sub obsequium Evangelii redigere, valeatis. Hæc duo verba Christi in volvunt, nempè alios ut lucrentur, sibi verò & ipsis caveant; quæ tamen conjungemus imposterum, nec separatim docebimus, præsertim, cum ita innexa sibi sint, ut alterum ab altero divulsum, cum vera in Deum fide, ac charitate, consistere haud possit.

CAP. VI.

Altera pars Regulæ Christi, nempè columbina simplicitas, seu sincerus piæ mentis candor. Quid ἀκέραιος notet? In quo consistat columbina simplicitas? quid sit, esse hominem duplicis cordis?

ALtera Regulæ Christi pars vult, *ut sint simplices sicut columbæ.* Ubi denuò duo perpendenda (1) præceptum generale, *Estote simplices* ἀκέραιοι, (2) specialis ratio ac modus, *Sicut columbæ.*

(1) Estote Ἀκέραιοι *simplices.* Græca illa vox *aut* descendit à τῷ κέρας *cornu*, notabitque id, quod *planum, sine plica* seu simplex, læve, *non in curvum erectum*, scirpoque simile est, in quo nodum frustra quæras; sive etiam quòd cornibus destituitur, iisque alios impetere non potest, q. d. *innocens*; quâ voce & *Angli*, h. l. & *Belgæ Rom.* 16: 19. τὸ ἀκέραιος exprimunt. Quo etiam sensu accepit *Ovvenus Epigr.* 195. l. 3.

Vt nulli nocuisse velis, imitare columbam,
Serpentem, ut posit nemo nocere Tibi.

Aut descendit à κεράννυμι, *misceo*; ut sit ἀκέραιος tantundem, ac, *Integer, purus, sincerus*, sive sine admixta

mixta cera, atque fuco, εἰλικρινὴς, qui vel Solem Iudicem non abhorret, ἀκίβδηλος defæcatus, omni scoriâ purgatus. Sicque vox græca ἀκέραιος admodum convenit cum Hebraica תם vel תמים, quam Lutherus interdum transfert schlecht / *simplex*, *Iobi* 1: 1. interdum, from / *probus*. *Gen.* 17: 1. quæq; nomini *Columbæ* adjungitur *Cant.* 5: 2. 6: 9. יונתי תמתי, *columba mea sincera mea*, h. e. quæ proba, atque sine fuco es. Et hoc sensu, qui planissimus & frequentissimus S. scripturæ est, τὸ ἀκέραιος sumi debet; ac si dixisset Christus: *Verùm enim verò, non sufficit prudentes solùm esse vos; prudentiæ vestræ comitem esse oportet sinceritatem, animumque omni fuco orbum.* Non verò laudatur hîc talis aperta mens, quæ omnes recessus cuivis denudat, nec unquam tacitè graditur; esset enim hæc stultitia potius dicenda, omnis prudentiæ inimica, quàm sincera integritas. Jupiter *Homero* aliisque Poëtis Græcis Ἀγκυλομήτης dicitur, quod aliud gestu ostendat, aliud animo habeat subinde. Sequitur nunc

(2) Specialis sinceritatis ratio, quæ in hoc posita est, ut columbas imitemur. *Estote simplices* sive sinceri *ut columbæ.* Sicco pede prætereuntes varias variorum opiniones, ipsam veritatem in apricum producemus. Illorum sanè expositionem vacillare, ex antecedentibus & præprimis ex anatome vocis ἀκέραιος, claret, qui asserunt, Christum velle, ut, quemadmodum columbæ, ubi invaduntur, sese neque unguibus neque rostro, sed avolando, tutas reddunt, sic quoque Apostoli non armis pericula, sed fugâ, amoliantur. Hic enim

enim sensus in ipsa prima hujus Regulæ parte latet, ubi jubentur Apostoli, prudentes esse ut serpentes, qui caput intentato periculo subducunt. Ut verò mentem Christi penitius rimemur, paucis natura, impulsus & propensio, columbarum contemplanda sunt. Columbas si cum aliis volucribus conferimus, multum illas reliquis avibus & placidiores & mitiores & amantiores sodalium, esse cernemus. Quanquam autem sensus & affectus, neque illismet, neque aliis animantibus, propriè competant, impropriè tamen ipsis tribuimus, quoniam singulares eorum sanguinis motus ac stimulos, linguarum defectu, aliis nominibus insignire, nondum consuevimus. Ob illam idcircò placidam, ardentemq; in socias naturam, columbæ Veneri apud Gentiles sacræ, quin & cultæ erant, à Samaritanis & Chaldæis (uti quidam tradunt) Hoc citra omne dubium est, quòd, cùm Deus illa animantia, quæ vel emblema & Hieroglyphicon, seu sacra quædam figura, tacitumque monumentum, alicujus virtutis aut vitii esse possunt, pura vel impura, & sic altari digna vel indigna, pronuntiarit, inter reliquas puras aves columbarum, &, prout aliis placet, passerculorum cruor, ex singulari isto ardore, quô in Sodales feruntur, arâ dignus judicatus sit. Quô nihil aliud Sp. Sanctus docere voluit, quàm, illos homines, qui hoc columbino amore in Deum accensi propendent, θυσίαν ἁγίαν καὶ εὐάρεστον θεῷ, *sanctam Deoque placentem hostiam* esse. Falluntur *Isidorus*, *Augustinus*, aliique Patres, ac moderni quidam, quibus vetustos errores lingere volupe est, putantes,

ideò columbarum sanguine cruentatas aras, quòd illæ omni felle carerent: Verùm, si columbarum excrementa, (in quæ bilis in concoctione se exonerare solet) obsessi Samaritani, salis loco, adhibuerunt 2. *Reg.* 6: 25. quod *Iosephus* testatur l. 9. c. 2. tum patet, bilem earum intestinis inesse, (licet fortean ob exiguitatem cerni non possit) unde acetosus, salsusque quidam humor, in stomachum destillans, cum excrementis earum sese miscet. Nec obstat nobis *Bochartus*, qui ex Arabica lingua docet, τοῖς חריונים, non excrementa columbarum notari, sed genus quoddam cicerum, quæ ex agris deprædatæ fuerint columbæ: siquidem vix fieri potest, ut aliquod animal cibos digerere, sine beneficio bilis, possit.

Quinam verò est naturalis ille columbarum instinctus, quem discipuli simul imitari jubentur? *Nempe unum impensè amant maritum, uni ferventissimè adhærent conjugi.* Et sic ἀκέραιος *simplex* adversatur, τῷ δισύχῳ *duplici Iac.* 4: 8. cui sunt לב ולב *duo corda Psal.* 12: 3. qui est *perversus corde* עקש לב *Prov.* 18: 20. & *perversus duabus viis* עקש דרכים *Prov.* 28: 18. qui amat, non ἑνὶ ἀνδρὶ *uni viro* adhærere 2. *Cor.* 11: 12. sed *duobus Dominis* blandiri. *Matth.* 6: 24. quod juxta sacrum stylum *fornicari* est. Contrahamus hæc omnia! Christus hæc vult: *Vos*, ô mei discipuli, *prudentiâ armatos esse, sed & ad omnia, quæ intenditis, amore mei, tanquam unici vestri sponsi, impelli, atque in cunctis rebus de meo arbitrio ac nutu dependere sepositâque gloriæ, laudis, vitæ vestræ, bonorum, amicorumque, ratione* quæ S. scriptura falsa numina,

& Non-

& Non-Deos, appellitat, *tantum modò meam gloriam, salutemque proximi, oculis, & intentione vestrâ, capessere, oportet.*

Quibus verbis Salvator N. illam Pharisæorum, eorumque, qui coloratos hos hypocritas plenissimâ similitudine exscribunt, prudentiam, dicamus potius, astutiam, rejicit, quâ illi etiam cornicum oculos configere, & *mare atque terram circumeuntes, proselytos* allicere, mirè norant. *Matth.* 23: 15. non ut gehennæ spolium eriperent, nec ut Dei gloriam, sed ut sibi famam, ac benevolentiam, aliaque beneficia, aucuparentur.

CAP. VII.

Summa hujusce Ecclesiasticæ & Christianæ prudentiæ necessitas, & ad quid eâ opus sit, defunctoriè perhibetur. Mentis stupor DEO non placet. Loca Matth. 11: 25. *1. Cor.* 1: 26. *excutiuntur.*

III. QUare, & ad quid, prudentia ista specialis necessaria siet, cuivis perspectum esse potest. Nemo mihi obstrepat, ejus necessitatem hinc infringi, quòd teste S. scriptutâ, DEUS τὰς νηπίους καὶ μωρὰς *infantes & fatuos elegerit*, iisq; sua mysteria retexerit, præteritis τοῖς σοφοῖς καὶ συνετοῖς, *sapientibus & prudentibus Matth.* 11: 25. *coll. 1. Cor.* 1: 26. 27. Nam ista loca nihil aliud inferunt, quàm (1) humilis sortis homines plerùmque (2) & quos naso mundus suspendit, tanquam stultos à DEO electos, (3) rejectos verò illos, qui carnali prudentiâ tument; quique ab Apostolo σοφοὶ κατὰ σάρκα

c. 1. vocantur. Quotusquisque autem electorum invenitur, qui naturali (non possumus dicere carnali) mentis suæ acie, plurimos mundi amasios vincit? Mosen, Davidem, Paulum, aliosque cœli hæredes, penetrantissimi ingenii, acerrimique Judicii fuisse, nullus dubito. Cucurbita sanè, sensusque hebes, ac mens plumbea, DEO non placet, sed animæ agilitas, cum sinceritate certans. Paucis nunc adstruamus hujus prudentiæ necessitatem, quæ postea plenius elucebit. Opus nim. eâ est, ad venandum Dei honorem, & beatitudinem proximi. Quid enim apricum magis, quàm esse quosdam conspicuâ pietate, quorum tamen infantia, multùm frugis perdit? Sunt, qui, dum ad Christum perpellere hædos satagunt, zeli sui intemperie, & immodicâ, detur venia voci, pietate, à fide & Salvatore N. eosdem plùs abarcent. Variis rem exemplis infrà dilucidabimus. Ejusmodi fideles circumferunt unguentum nardi liquidissimum, sed non vasculo aureo, verùm tenui alabastro, quod confringitur facilè, vimque illam odoriferam frustrà humum effundit. Protrudunt illi multos, bonosque fructus, sed qui suâ & exilitate & immaturitate, multum gratiæ amittunt. Dum Domino suo feras capere & irretire studeat, easdem vel in se vertunt, vel planè abigunt. Viridi enim penulâ cùm abblandiri feris, aut post carecta latere debuissent, ingrato atrore, aut intempestivè displosâ bombardâ, metum, fugamque, incutiunt. Talis *homo, spiritûs sui*, addam zeli, linguæ, &c. *non compos, similis est urbi mœnibus denudatæ.* Prov. 25: 28.

Cap.

CAP. VIII.

Porrò asseritur hujus Ecclesiasticæ prudentiæ necessitas. Christi Salvatoris N. & Pauli Apostoli exempla producuntur. Ratione hujus prudentiæ Apostoli interdum commisêre aut permisêre aliquid, quod alibi omisêre aut prohibuêre. Principia seu regulæ, quibus hâc in re Apostoli innixi sunt. Quomodo Antichristus Patrem ac filium, hujusque ἐπιφάνειαν, neget? 1. Ioh. 2: 22. 4: 2. 3. commissio & permissio differunt.

EX qua verborum Christi explicatione, ipso sole serenius lucet; *quòd Doctorum ac Pastorum, quin cujusvis Christiani hominis sit, ex sincerâ pietate, & intensissimo in Iesum Christum amore, hoc agere, ut proximus in rete Regni cœlorum pertrahatur; utque id minori cum difficultate & vitæ periculo, quod temerè adeundum non est, fiat, verba & opera, virtutes, affectus, atque mores &c. suos, ad personam, tempus, locum, aliasque circumstantias, fingere & accommodare.*

Intueamur, hanc in rem, filium Dei, omnis prudentiæ, pietatisque vivum speculum, quàm ille sese ergà perditas de Domo Israëlis oves sincerè ac prudenter gesserit, ut eas in ovile suum cogeret. Ipse præsentibus pharisæis, & scribis, alto plerumque orationis cothurno, plebeiis & idiotis vulgari, incedit. Invitatus ad convivia ac nuptias, comparet. *Matth.* 9: *Ioh.* 2: juxta patrios ritus, civilesque mores se componens. *Luc.* 7: 36. 44. 45. neque honorem, qui sibi delatus est, exhibitaque huma-

humanitatis officia, rigidè excussit, *Ioh.* 12: 2. 7. 13. Quin exsangue corpus suum variis aromatibus & condimentis pollinci, terssissimâque byssо obvinctum, in monumento novo, eoque ex petra excisо, demergi, non abnuit. *Ioh.* 19: 39-41. &c. Vino, iisque quæ apponebantur, utebatur, quocirca & οἰνοπότης *potator* audiebat. *Matth.* 11: 19. Vestis ipsius, pro gentilitio more, patriâque consuetudine ac ratione, ex unius fili continuatione absque acus ope, per texta, & ἄῤῥαφος *nulla ex parte consuta* erat. Vide Cl. *Braunii* tract. *de vestitu sacerdotum*, ubi is æneâ figurâ, & tunicas ἀῤῥάφους, & textrinam, ostendit. Hinc illa, cùm nec lacera, nec turpis cento, sed apta atque decora esset, à quovis militum, crucis custodum, petita, & ob id ad sortem revocata est. *Ioh.* 19: 23. 24. Adeoque Christus neque pertinaciâ, neque prætoriâ singularitate prætumidus, ut ita dicam, vel *lætos cantus* vel *tristes planctus*, prout convertendis Judæis idoneum visum est, dedit. *Matth.* 11: 17. Sicque *Eruditissimâ suâ linguâ, quam ipsi Iehova dederat*, gravi legis Jugo *defessis tempestivè loqui sciens Esa.* 50. 4. rationi temporis & personarum, sermones suos adaptabat, & *prout audire poterant*, promebat. Uno verbo; sic egit Christus, ut hîc discipulos agere jussit. Nullibi legimus, eum in res adiaphoras, publicosque ritus, ac consuetudines forenses, invectum. In hoc uno negotium, otium, vigiliam & somnum, reposuit, ut fidem ac respiscentiam peccatoribus instillaret. Ubi autem *gens ista prava, adulterina atque incredula, quam* miti animo *perferebat*, *Matth.* 12: 39. *Marc.* 9: 19. in caput ejus irru-

irrueret, serpentis instar, manibus ipsorum elapsus, verba Evangelii inter ipsos serere, desiit. *Matth.* 7:6. vitamque, velut præstantissimum cimelium, melioribus fatis, ac dignioribus hominibus, reservavit. *Ioh.* 7:1. 8:59.

Eôdem prudentiæ tramite decurrerunt alii sancti; quibus tamen, brevitatis gratiâ, omissis, solummodò Paulum Apostolum, nitidissimam Ecclesiasticæ prudentiæ imaginem, oculis nostris carpemus. Is de se ipso ita: *Quamvis liber sim ab omnibus, omnibus me tamen servum feci, quò complures lucrifacerem. Et factus sum Iudæis, ut Iudæus, quò Iudæos lucrifacerem; illis, qui sub lege sunt, ut existens sub lege, quò, qui sub lege sunt, lucrifacerem; Exlegibus, ut exlex (non tamen ut exlex Deo, sed sublex Christo) quò exleges lucrifacerem. Factus sum infirmis, ut infirmus, quò infirmos lucrifacerem; omnibus factus sum omnia, ut omninò aliquos salvarem; hoc autem facio, propter Evangelium, ut ejus consors fiam.* 1. Cor. 9:19-23. Necesse est, ut Apostoli & præsertim Paulus, hanc suam accommodationem, & παντανθρωπαρέσκειαν *omnibus placendi studium, principiis* quibusdam, certisque Regulis seu Maximis, tanquam fornicibus, suffulciverint. *Primum* illorum *Principium*, juxta quod & nos incedere oportet, extra dubium hoc fuit: *quicquid S. Scripturam, aut sanam rationem impugnare, aut ab his præceptum esse, non distinctè ac clarè videtur, id rigidè interdici, hominibusve imponi, non potest.* Huic Regulæ insistentes, omne pietatis studium ac consi-

consilium ad Judæis, gentilibusque complacendum, conferebant.

Præter hæc autem erat aliud quid, cujus indulgentia peculiarem regulam ac principium, prærequirebat; nimirum, *ceremoniarum Lex*, quæ morte Christi emortua, & de jure, ut loquuntur, abolita, destructo templo & Levitarum Republicâ, ipso facto sepulta est. Interea, cùm victimas cædere, esu sanguinis abstinere, circumcidere, statos dies ac ferias celebrare, &c. ad divinum cultum pertinerent, & tanquam sacra simulacra, Christum, ipsiusq; bona salutaria, adumbrarent, certè illa observari amplius non poterant, postquam omnes *promissiones in Christo* ναὶ καὶ Ἀμὴν *factæ*, h. e. adimpletæ essent, citra rejectionem ac abnegationem gratiæ & παρουσίας apparitionis Jesu Christi. *Gal.* 5: 2. 3. Hæc causa est, cur de Anti-Christo, sive Pro Christo dicatur, *quòd negaturus sit, Iesum Christum in Carnem venisse* 1. *Ioh.* 4: 3. Non equidem Antichristus, qui in templo Dei sessurus traditur, id directè atque ore negaturus est, sed indirectè atque opere. Videatur Elegantissima *Martini Hundii disp. de fide Antichristi.* Scilicet ἐνσάρκωσις J. C. ex parte negatur, ubi Judaicarum ceremoniarum farrago divinum cultum opplet, & multorum sacrorum rituum nube, Christi gratia obumbratur, & hoc modo libertatis *tempora*, in servitutem & elementorum, quæ pueris curæ ac cordi, jugum *commutantur*. *Dan.* 7: 25. Adeoque sacri illi ritus ac institutæ ceremoniæ, futurorum umbræ, in numero rerum indifferentium, minimè poni, neque etiam vi prioris principii, vel in horulam, indulgeri possunt;

sunt; neutiquàm enim eas à Synagoga in Christianam Ecclesiam transferre unquam à morte Christi, licet, nisi illam gratiam ac libertatem, quam Christus nobis attulit, turpiter explodere, & tot S. Scripturæ textus, quibus perstare in Christiana libertate jubemur, contemnere, videri velimus. *Gal.* 5: 1. &c.

Ex quibus consequitur, Apostolos aliam, penes priorem, maximam, aliudve principium stabiliviſſe, cui innitentes aliquandiu, cum Judæis Judaicè vivebant, h. e. patrios ritus obibant, Timotheum circumcidebant, raso capillitio vota solvebant, offerebant, stativas horas in templo, aliasque ceremonias, ritè observabant *Act.* 3: 1. 16: 3. 21: 24. 26. nec non hæc omnia Judæis permittebant.

Alterum itaque eorum *Principium* sive maxima, hæc fuit: *Illud malum, quod citra gravius nocentiusque malum, uno momento averruncari non potest, aliquandiu tolerari & licet & debet.* Hæc Regula tantundem valet, ac illa: *Ex duobus malis, minus eligendum*; sive, *licet alteri levius peccatum suadere, ne graviori se polluat*, scilicet ubi utrumque dissuaderi, aut inhiberi non potest. Objectiones, quæ in hanc veritatem eunt, discussas invenies apud *Rob. Sanderſonum prælect. de Consc.* 2: §. 19. Hoc principio nitebatur etiam divortium Mosaicum. *Matth.* 19: 8. Prævideo, quid hîc oggeri possit, nimirum; aliud esse, *permittere*, aliud, *committere*; Apostolos non tantum *permisisse* Judæis, ut se circumciderent, raderent, hostiasque cæderent &c. sed & eadem *commisisse*; cùm contrà Moses,

Moſes, divortium permittens, uxorem tamen ſuam non repudiaverit ipſus; Atque adeò res, Judæis ab Apoſtolis permiſſas, quin & ab iiſdem commiſſas, aut indifferentibus accenſeri debere, aut, ſi non, Apoſtolos earum uſu ſeſe contaminaſſe videri poſſe. Reſpon. quòd, quamvis *Tertullianus de præſcript. Hæret.* appoſitè admodum ſcribat: *pro temporibus & perſonis & cauſis, quædam reprehendebant, quæ & ipſi æque pro temporibus & perſonis & cauſis committebant* Apoſtoli. &c. commiſſio tamen eorundem, qualis ita videtur, potius permiſſio dici mereatur. Nam, quemadmodum ſæpè permiſſio parum, aut nihil, à commiſſione differt, de quibus plura inferius; ſic quoque commiſſio, cum permiſſione, ſubinde in unum idemque deſinit. Dubitari non poteſt, quin victimæ, circumciſio, & feſta Judæorum, poſt mortem & aſcenſionem J. C. adiaphora non fuerint, quoniam ab illis, ut res ſignificativæ, & adumbrantia monumenta, uſurpabantur; quô pacto, adventus Chriſti in carnem, mors, reſurrectio adſcenſioque &c. in dubium trahebatur. Ut vel inde appareat, Theologiam Chriſtianam expurgandam eſſe ab illis, ſub veteri œconomia uſitatis, umbris ac nominibus, qualia ſunt, *ſacerdos, altare, hoſtia*, aliaque ſexcenta; niſi cum Antichriſto deſipere, Chriſtique adventum, ſaltem indirectè, inficiari velimus. At verò omnes illæ res, Apoſtolis nullatenus ſignificativæ erant, quas tanquam Sacra Symbola amplecterentur, ſed tantum modò vacua ſenſu pompa, inanis cortex, & exeſus pumex, emolliendis judæorum animis aliquandiu idoneus. *Duo enim cum faciunt idem, non eſt idem.*

Judæi

Judæi quidem in ea sententia fuerunt, Apostolis eundem, in obeundis istis ceremoniis, scopum ac sibi esse; quam sententiam illis *permiserunt* Apostoli, demere noluerunt; cùm tamen Apostolorum circumcisio, sacrificium, rasura &c. certo sensu, plus ponderis ac momenti non habuerit, quàm si ungues vel barbam, vel canis cervicem demessuissent. *Esa.* 66: 3. Atque adeo hæ res, ratione Apostolorum, indifferentes, Judæorum, malæ erant. Utrisque enim non idem scopus ac intentio. Hi tractabant umbras, *committebantque* res significativas, post obitum & in cœlos abitum Christi, malas: illi *permittebant*, ut Judæi parem ipsis scopum, veratumque umbrarum usurpationem, affingerent.

CAP. IX.

Prudentiæ hujus necessitas amplius diducitur. Sphalma Petri Gal. 2: 11-14. *Loca ad prudentiæ Ecclesiasticæ, vel confirmationem vel descriptionem facientia, examinantur.* 1. *Cor.* 9: 19-22. 10: 32. 33. *Rom.* 15: 2. *Eph.* 5: 15. 16. *Col.* 4: 5. 1. *Thess.* 4: 12.

QUæ diximus priori Capite, ostendunt, quàm circumspectè Apostoli, serpentum instar, omnes circumstantias perpenderint, suaque dicta ac facta ad aliorum lubitum (parce rigidè loquenti) finxerint, hoc illudve indulserint, vel commiserint, peculiari planè intuitu. Audiamus elegantissimas similitudines, quibus veritatem hanc delineavit Vir Doctus, Teutonico licet stylo: Quoniam, ait, Judæi, inter istas suetas sibi leges, ad-

„ modum adoleverant, ut ablactari & ab illis
„ tam repentè depelli non possent, nisi omni
„ virore & humore exugere ipsos voluissent Apo-
„ stoli; hinc sensim sine sensu ita arborem circum-
„ cidere, inutilesque ramos ac palmites putare
„ debuerunt, ut nihilo secius spes ferendorum
„ bonorum fructuum relinqueretur. Non condu-
„ cere videbatur, ut Judæos ex obscura futurorum
„ Bonorum umbra, primo gressu, ad splendidissi-
„ mam ipsorum Bonorum lucem ac veritatem,
„ protraherent. Sed sub *dubiæ diei crepusculo*, ita
„ ipsos provexerunt, usque quà ipsorum oculi,
„ luci paulatim adsueti, clarissimum Evangelii
„ fulgur plenè haurire didicerint; qui alioquin
„ subitâ totius diei immissione, capti facilè, præ-
„ stricticque fuissent. Non poterant Apostoli vetu-
„ stos istos ritus, veluti fœminam pestilentiâ per-
„ emptam, uno impetu Synagogâ eiicere, sed ve-
„ lut ætate confectam, dilectissimamque matro-
„ nam, aliquandiu ipsis relinquere debebant, do-
„ nec ipsis consentientibus, terræ mandari posset.

Hæc causa est, quare Paulus *omnibus se servum fecerit.* 1 Cor. 9: 19-22. &, quantum salvâ fide, ac pietate fieri potuit, juxta cujusvis mores ac sententiam, sese formarit. *Judæus factus est ut Iudæus* v. 20. h. e. ubi illi scandalizabantur, *quòd doceret Iudæos, qui inter gentes sunt*, ipsosque de gentibus protelytos, *defectionem à Mose, dicendo, non debere eos filios suos circumcidere, nec secundùm institutа Mosis incedere Act.* 21: 20. 21. tum, citra tamen inconstantiam, animique mutationem, prudenti fratrum consilio, Judaizans, *& caput totondit & obtulit*

obtulit τὴν προσφορὰν זבח השלמים *sacrificium eucharisticum. Act.* 18: 18. 21: 24-26. *Num.* 6: 18. *Numinibus votisque vacat, & supplice crine*: hunc tantùm in finem, ut abs se suspicionem, suggestæ aliis doctrinæ, de relinquendis Mosaicis ritibus, amoveret, quanquam reverà Mosaica crepundia deserenda docuerat. Ne autem alterâ in parte Ethnicos offenderet Paulus, *factus est illis, qui sine lege* Mosis *erant, ut exlex* v. 21. 1. *Cor.* 9. h. e. inter eos Judaicis ceremoniis supersedit, non obscurè innuens, ut, si famâ acceperint, se inter Judæos Judaico more vivere, ipsum tamen neutiquam imitarentur, aliud enim se agere, nempè, ut istâ temporariâ suâ accommodatione, Judæis Zelosis veritatem cautè propinaret. *Non licet hominem esse sæpè ita ut volt, si res non finit. Terent.*

Aliter aliquando Petrus. Is inter conversas ad fidem gentes agens, *gentiliter vixerat*, usus Christianâ libertate, quam & gentibus suaserat; verùm, postquàm Hierosolymâ & *à Iacobo venissent quidam* imbecilles in fide *Iudæi, quos metuebat*, ne ab illis eâdem suspicione, quâ Paulus *Act.* 21: 21. adspergeretur, *à gentibus se se subduxit, ac distinxit*, & in conspectu tantæ gentium multitudinis, quam fortè, sicut Paulus, de illa prudentiæ συγκαταβάσει condescensione, Judæorum gratiâ, instituendâ non satis erudiit, pauciſſimis placendi studio, Judæum finxit, non sine multâ circumfusæ concionis & gentium offensâ, *quas* hâc ratione, indirectè licet, *Iudaizare coëgit*. Quocircà ei Paulus justissimam reprehensionem impegit, atq; κατὰ πρόσωπον *in os restitit. Gal.* 2: 11-14.

Atque sic Paulus, ut *omnium Apostolorum Maximus, Origini* aliisque Patribus, ita Prudentissimus, *neque Iudæos, neque Græcos, neq; Ecclesiam Dei offendit: sed per omnia omnibus placere* studuit. 1. Cor. 10: 32. 33. Pari modo, quò solers Medicus, Phreneticis blandè palpatur, & subinde ægrum, mortuum, aure oculisque captum, gestu simulat, saltem, ut præsentem illis medicinam adferre possit. Hinc nos Apostolus commonefacit, *ut unusquisque nostrûm proximo placeat, ad bonum & ædificationem illius.* Rom. 15: 2. *proximo autem placere*, scribit in h. l. subactissimæ Eruditionis commendator quidam, & qui inter Doctos Modernos *Magnus Apollo; est se ei accommodare, & ei se exhibere gratum, jucundum, & acceptum, faciendo isthius causâ omnia, & omittendo, quæ alioquin licitè posset facere.* Ad *Ephesios cap. 5: 15. 16. hæc habentur*: βλέπετε πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε, μὴ ὡς ἄσοφοι, ἀλλ' ὡς σοφοὶ, ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν. *videte, quomodò accuratè incedatis, non ut imprudentes, sed ut prudentes, redimentes occasionem.* Vox ἀκριβῶς originem trahit, ab ἄκρον *summitas* digitorum, & βαίνω *gradior*; adeoque ἀκριβῶς incedere, est, summis pedum digitis cautè progredi; sive, ut *Terentii* verba usurpem; *suspenso gradu placidè ire.* Soliditas cum acumine juncta, ita authorem nostrum, paulò ante memoratum, commendant, ut verbis ejus hîc & sæpius nostra, velut tot gemmis, distinguere, necesse, imò pulcrum, ducamus. Is verò in hunc Pauli locum ad Eph. ita: Ἀκριβῶς περιπατεῖν *est, quando in omni dicto, ac facto, hoc eligimus, quod & nos decet, & proximo utile est. &c. Neque illud omit-*

omittendum est, ad ἀκρίβειαν *pertinere etiam, ne simus Nimis Iusti Eccl.* 7: 16. *nempè quùm quis sibi & alteri scrupulos facit, &* NB. *leges excogitat, secundùm quas amplius faciat, quàm Deus posuit, & ei supererogare satagit, & judicat alienum servum, qui libertate suâ utitur, & gratias Deo agit. Rom.* 14: 4. &c. Paria Paulus loquitur *Col.* 4: 5. 6. 1. *Thess:* 4. 12. Ἐν σοφίᾳ περιπατεῖτε πρὸς τοὺς ἔξω, *sapienter, seu prudenter, incedite & composito gestu, erga extraneos* (h. e. qui sunt ἀλλόφυλοι nondum *fratres* 1. *Cor.* 5: 11. aut nondum οἰκεῖοι τῆς πίστεως *fidei contubernales Gal.* 6: 10.) *opportunitatem redimentes. Sermo vester semper gratiâ & sale sit conditus, ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere.* Hisce congruam vitam degit *Ambrosius*, de quo hoc referunt: *Facere eum putes cum jacentibus, lacrumari cum lacrymantibus, gemere cum gementibus: Vir clementissimus in omnem formam se transformavit, ut homines Diaboli faucibus ereptos, Christo lucrifaceret.*

Istius modi circumspectus incessus, intuitu exterorum instituendus, maximè necessarius est. Nisi enim *sapientes fuerimus in bonum Rom.* 16: 19. Sed ceu frigidi Nabales, connubio nobis junxerimus pietatem, castissimam & formosissimam illam Abigajilem, sæpius tùm & ore & opere, gloriæ Dei, ædificationi fratris, atque conversioni τῶν ἔξω, damnum infligemus, etiamsi multæ probitatis, & optimæ intentionis opinione trahamur. Hoc pacto, pietas nostra similis erit Reginæ, quam vestis squalore obsita, dehonestat; aut Rustico, qui equidem Regali purpurâ, & sceptro refulget, at agre-

ſtibus moribus, geſtu, ſermone, Ruris alumnum ac vappam prodit; aut celeri phaleriſque ornatiſſimo equo, qui, cùm frenum non patiatur, per horridos dumos, arduas rupes, foſſarumque præcipitia, non ſine periculo inſeſſoris, aliorumque obviantium, effunditur: aut navi abſq; gubernaculo, quam turbidi affectuum, imprudentiſque zeli auſtri in ſyrtes & ſaxa impellunt. Hujuſcemodi fideles, Petro & Andreæ non iniquè comparaveris, quorum *rete, cùm magna piſcium multitudo concluſa eſſet, disrumpebatur*, viamque captis, & laborem, modò non incaſſum, dabat. *Luc.* 5: 6. vel Pænelopæ, quæ telam alterâ manu contextam, alterâ retexuit.

Cap. X.

Objectiones quorundam contra hanc prudentiam ſeu bocce placendi, & cedendi, hominibus ſtudium, quæ depromunt ex Rom. 12: 2. 2. *Tim.* 4: 2. 1. *Theſſ.* 2: 4. 5. *Gal.* 1: 10. *refringuntur. Mundi odium in nos, non ſemper amicitiæ divinæ indicium eſt.*

ANtequam ad examen illarum objectionum, quas quidam ex S. ſcriptura decerpunt, deſcendamus, viſum mihi eſt, occurrere hîc illis, qui atrâ livoris ſoligine permicti, hanc noſtram Eccleſiaſticæ prudentiæ deſcriptionem eapropter dente ſuo rodunt, quòd ejus delineatione videar multæ mihi ſapientiæ ac prudentiæ gloriam tribuere. Quod ulcus in præfatione tangere forſan præſtitiſſet, ſed illam in longius extendere noluimus, nauſeam Lectoris averſuri. Quòd ſi verò ipſe Salomo,

Vir

Vir bonus & sapiens, qualem non repperit unum
Millibus è multis hominum, Consultus Apollo,
non dubitat de se asserere : *Brutus ego sum inter viros, nec est hominis prudentia mihi ; nec didici sapientiam, aut intelligentiam sanctorum novi.* Prov. 30. 2.3. Quòd si, dico, ipse Salomo, qui tàm convenientes vitæ regulas, & Ecclesiastici statûs rationes conscripsit, (de quibus sine dubio editus nuperrimè Belgico idiomate Libell⁹ agit, hunc titulũ ferens : *VVys. heids Leffen of te Salomons by eengebrachte grond-regelen* &c. quem præterquã in indicibus non vidimus) suam tamen imprudentiam non diffitetur; multò magis nos singulos, quotidianam nostram stultitiam fateri, & cœspitationes, quibus penè omnem horam perdimus, deplorare, decet, etiamsi alios, cautè pedem movere, doceamus. Quis nescit præclarissimos Rhetores, qui eloquentiæ præcepta tradunt, non semper eminentissimos Oratores vel sibi vel aliis haberi. Neminem præterea fugit, solertissimorum Medicorum consilia, quibus alios juverant, ad proprias ipsorum ægritudines torpere & frigere. Morbus quasi Epidemicus est; *Alii consilium dare, foris sapere, sibi non posse auxiliarier.* Terent. Heaut. Omnes penè accedimus ad pictores & chalcographos, æris incisores, qui pretiosissimam supellectilem, Dionysiacas dapes, & aureos crateres, quibus tamen singulis plerumque destituuntur, penicillo aut cœlo suo, bellè describere edocti sunt.

Ad rem! objectiones, quas quidam ex S. Scriptura contra stabilitam hanc prudentiam educunt, absque dubio, sequentes sunt. (1) *Rom.* 12: 2. *Rogo vos,*

vos, μὴ συσχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τούτῳ, *non conformari huic seculo.* Hinc argutantur, à prudentia nostra Ecclesiastica incurri in hoc Pauli effatum, ubi illis, qui extra sunt, moribus, gestibus, aliisque rebus adiaphoris, conformêris. Sed respondeat sæpius laudatus noster Author: *Et ne configuremini huic seculo. Id non significat, Christianum debere esse singulari vestium formâ, aut similibus rebus differre ab alius &c.* Verum est, non decere nos, Vertumnum agere, aut temerè, Protei instar, in omnem nos formam transferre. Chamæleon pseudo-politicorum Hieroglyphicon est, non Sanctorum: ubi vis enim & semper illi quemcunq; colorem, quæstûs causâ, imbibunt & repercutiunt. Non tamen velut serò sapiens & ἀπροβούλευτος Epimetheus, quem proinde à Jove in Simiam versum, gentilium fabulæ fingunt, operam nos ludere, sed velut prudens Prometheus, omnia ad rationis lancem prius exquirere debemus. Paulus prætereà quid per *seculi figuram* intelligi velit, & in sequentibus verbis hujus versûs, & præsertim ad Eph. 2: 1-5. ostendit.

Altera objectio (2) eruitur ex 2. Tim. 4: 2. *Prædica sermonem. Insta, tempestivè, intempestivè.* Hinc Doxastæ quidam, qui suis opinionibus mordicus inhærent, clarum esse, dicunt, quòd prædicationibus, admonitionibus, reprehensionibus non attendenda sit opportunitas & καιρὸς; Intundendum sermonem omni loco ac tempore, sive id cum tædio personæ audientis fiat, sive non; ejusmodi circumstantias ità anxiè haud captandas. Resp. Hæc profectò insipidè! Hunc sensum Pauli verbis non inesse vel hinc claret, quòd Paulus toties alioquin

nos

nos docuerit, *opportunitatem redimere.* Num is sibi ipsi contrarius est? Benè proinde *Grotius* vocabula ἐυκαίρως ἀκαίρως exponit *in otio in negotio* scil. ejus, cui prædicandus sermo. q. d. Verbi dispensator, non pro suâ commoditate ac allubentia, docere, solari, carpere, debet, sed pro alienâ. Non, tùm demùm, ubi nec frigore, nec latratu stomachi, nec amicorum confabulatione, nec conviviis &c. fuerit impetitus. *Propter hyemem piger non arat. Prov.* 20: 4. *dicit piger, leo foris est, in medio platearum occiderer. Prov.* 22: 13. *qui ventum observat, non seminabit, & intuens nubes, non metet. Eccl.* 2: 4. Hujus assiduitatis, quam Paulus h. l. exigit, laude ornat Christus Angelum Ecclesiæ Ephesinæ: *Propter nomen meum laborasti, & non es defatigatus. Apoc.* 2: 3. quum verò veritas à multis non rationibus, sed magnorum nominum authoritate, mensuretur, & nobis admittendus erit h. l. *Chrysostomus*: Μὴ καιρὸν ἔχε ὡρισμένον, Ἀεί σοι καιρὸς ἔστω. μὴ ἐν ἀδείᾳ, μὴ ἐν εἰρήνῃ, μὴ ἐν ἐκκλησίᾳ καθήμενος μόνον, ἀλλ' ἐν τοῖς κινδύνοις, ἀλλ' ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, ἀλλ' ἄλυσιν περικείμενος &c. *Noli habere definitum* sacris operibus *tempus! Semper sit tibi opportunum! Non in securitate, non in pace, non in Ecclesia residens, tantùm, sed & in periculis, sed & in carcere, sed & catenis constrictus &c.* prædicare verbum debes. Adeoque hîc non agitur de opportuno vel non opportuno tempore illius, qui lucrifieri (ut quod etiam nostro incommodo redimi oportet *Eph.* 5: 15. 16.) sed illius, qui lucrifacere debet. Qui anatibus feris insidias parare avet, non æstate egreditur foras, quà nec frigoris, nec nivis, nec aqui-

lonis, acrimonia adurit, sed ipsâ hyeme, quâ occurrere illæ solent, ut huic Pauli loco siniſtrum sensum adiecerit *Julius III.* Pont. Rom. qui quum esset fervidioris & impatientioris indolis, ad D. Diego de Mendoza Legatum Caroli V. qui petebat, ut quibusdam loquendi formulis in Bulla pro tempore abstineret, indignabundus regessit; quòd veritatem deceat ubivis & semper in ore ferre & proferre opportunè, & importunè, juxta Paulum. Cui meritò & promptè ille Legatus objecit locum alterum Pauli, ubi is ait, se omnibus factum omnia. *Hist. Conc. Trid. lib. 3. Tempus ac rationem novit cor sapientis; nam cuivis proposito est suum tempus ac ratio.* Eccl. 8: 4. 5. non ineptè LXX. καιρὸν κρίσεως γινώσκει καρδία σοφοῦ, ὅτι πᾶσιν πράγματι ἔστι καιρὸς καὶ κρίσις. *Et tempus discretionis novit cor sapientis, quia cuiq; negotio suum tempus & discretio est.* In quæ verba Ter laudatus nobis author sequentia commentatus est: *Cor sapientis prudenter dispicit, quid tempus postulet, quid conveniat personis, & circumstantiis. - Præcipuè hæc admonitio in rebus iis attendenda, quæ nostro arbitrio permissæ, ita ut videamur in iis non debere aliis subjici, de quibus* 1. Cor. 6: 12. 10: 23. *Deinde in iis, quæ semper bona; quibus instandum quidem* ἀκαίρως ἐυκαίρως, 2. Tim 4: 2. *& ad ea redimendus* ὁ καιρὸς Col. 4: 5. *h. e. etiam nostræ commoditatis, & gratiæ aliorum, dispendio quærendus & arripiendus, ita tamen, ut omnia cedant ad* οἰκοδομὴν τῆς χρείας. Eph. 4: 29. *h. e. ut in charitate exigentia, cujusq; institutio, & omnis* πολιτεία, *accommodetur.* Posteriorem hunc Pauli locum, quòd obscurior aliquantulùm videatur, propius intueri, operæ pre-

rx pretium est. Dixit Apostolus; *nullus sermo putris ex ore vestro exeat*, ἀλλ' εἴ τις ἀγαθὸς πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας, *Beza*; *si quis est commodus ad ædificationis usum*. Sic & *Angli* Quasi esset in verbis Paulinis hypallage, dicique debuisset; πρὸς τὴν χρείαν τῆς οἰκοδομῆς. *Belgæ* paulò aliter: *maer soo daer eenige goede reden is tot nuttige stichtinge*. *Lutherus* optimè omnium hoc in loco: Was nützlich zur Besserung ist/ da es noth thut. ac si extaret; ἐν καιρῷ χρείας, uti *Siraç.* 8: 12. quæ verba ibidem interpretatur; wo es noth ist. *Hieronymus* pari significatu transfert; *ad ædificationem opportunitatis*. Hieronymus ac Lutherus cum Paulo tantum volunt, nimirum, non semper & ubivis necesse esse, sermones ad ædificationem, in se ipsis non inutiles, movere, sed tùm demum, & ibi, ubi ratio & prudentia necesse judicarit. Verba Hieronymi apud *Crocium comment. in h. l.* ita se habent: *Quotiescunque ex sermone nostro aliquis proficit, & juxta opportunitatem loci, temporis & personæ, ædificat audientes, bonus ex ore nostro sermo processit. Quoties verò loquimur, aut non in tempore, aut importuno loco, aut non, ut convenit audientibus, toties sermo malus procedit de ore nostro ad destructionem eorum, qui audiunt.*

Sed ad aliam (3) objectionem descendamus. 1. Thess. 2: 4. 5. Gal. 1: 10. *Non loquimur Evangelium, ut hominibus placentes, sed Deo, qui approbat corda nostra. Non enim* ἀνθρώπους πείθω, *homines suadeo, sed Deum. Neque quæro hominibus placere; Enim verò, si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Hinc, ajunt, liquere potest, quàm bellè nos juxta aliorum sententiam componere, & καιρῷ δουλεύειν, tem-

tempori inservire; potius, quòd primo quovis tempore impiis indiscriminatim in os resistere, & aperto marte vitia eorum debellare, neque diu commodi temporis articulos venari, debeamus. Resp. Si hæc vult Paulus verbis modò jam adductis, sibi ipsi aliis dictis contradixisse censendus erit. Sed absit, hæc de tanto Apostolo cogitemus! Alium adcitò sensum rimabimur. Hominibus arridere, in se ipso bonum est. At verò suo vel ocio vel negotio, docendo, vel solando, hominum amorem, favorem, quæstum, vitam, honorem, dignitatem &c. nullo alio intuitu, quàm ut Tibi habeas, aucupari, pessimum, & h. l. à Paulo remotum est. Quod ampliùs clarum est, ex Gal. 6: 12. ubi sic: *quicunque volunt* εὐπροσωπῆσαι ἐν σαρκὶ, *acceptâ specie placere in carne: ii cogunt vos circumcidi, tantùm, ne cruce Christi persecutionem incurrant.* Loquitur Paulus de pseudapostolis & Judæis, qui datâ Religioni Christianæ manu, scientesque, Mosis legem, adductâ per Christum gratiâ ac veritate, abolendam, & vetera ista vela removenda, nihilominus tamen gentes circumcidi cogebant; non ullo conscientiæ impulsu, dictantis, Dei ipsius jussu circumcisionem fieri debere, aut illâ, tanquam optimo ad Judæos lucrifaciendos medio, uti, opus esse; sed tantùm, ne quâ reliquis Judæis, ζηλωτὰις τῦ νόμε, disi licerent, neve illorum iram atque sceleratas manus, ob crucem Christi, subirent, quod certò futurum esset, si cum Paulo defectionem à Mose docerent. Unde ad oculum patet, hos fictæ pietatis mangonio fucatos Apostolos, sibi serere, sibi metere, sibi cavere voluisse. Salutem

tem proximi, Deique gloriam appetebant, sed sine labore, sine periculo, & sic sibi studuerunt. At

Nec quisquam fruitur veris odoribus,
Hyblæos latebris nec spoliat favos,
Si fronti caveat, si timeat rubos.

Adeoque suâ illi ἀνθρωπαρεσκείᾳ & ὑποκρισίᾳ, propriè, non Dei honori, nec ædificationi proximi, sed suo quæstui inhiarunt. Similiter Christus de Judæis *Ioh.* 12: 43. ait: *quòd hominum gloriam magis diligant, quàm Dei gloriam.* & *Iudas* de aliis v. 16: quòd *utilitatis gratiâ personas admirentur.* Cæterùm, si ad Dei honorem, proximique salutem animum præprimis applices, neque oculos in utilitatem intendas, studium placendi hominibus, & licitum & auspicatum erit. Non semper ex aliorum odio & inimicitiâ, quâ nos insectantur, Dei amicitiam coniicere possumus. Utinam indiscriminatim omnibus, absque peccato, placere daretur. Et sanè eò incumbendum est. At verò proximi animum inconsiderato sæpè ore & opere à nobis deflectimus. Falluntur multi, qui sibi persuadent, se ab aliis novercali odio premi, eâ de causâ, *quòd non sint de mundo.* Joh. 15: 19. cùm pertinax plerumque singularitas, clandestinus animi tumor, pietas non benè radicata, intempestivus fervor, inexorabilis austeritas, inculti mores ac sermones, & incompositi gestus, nos ad istos scopulos allidant.

CAP. XI.

Prudentia in quatuor partes dividitur; quarum prima, circumspectio est. Hac ad septem circumstantias

tias attendit. Prima circumstantia, quis, quid sibi velit.? vid. Nosse se ipsum.

HActenus multis verbis & labore stitit veritas, quam ex profundo puteo erutam luci dedimus. Distortus hominum animus, veritati nebulas affundentium, in causa est. Quas cùm nunc perrupetimus, ad rem ipsam progrediemur, contemplaturi: I. In quot & quas Partes Ethici prudentiam dividere soleant, & quid circa quamvis earum perpendendum sit? II. Circa quas res prudentiæ Ecclesiasticæ usus versari debeat? III. Quinam obices & impedimenta nostram prudentiam, tanquam tot offensionis lapides, remorentur?

I. Prudentia dividi potest in quatuor partes, (1) *Circumspectionem*, seu prudentiam circum circa prospicientem (2) *Providentiam*, seu prudentiam in futurum respicientem. (3) *Cautionem*, seu prudentiam præcaventem (4) *Discretionem*, seu prudentiam bonum à malo, aut melius à bono discernentem. Atque hîc sequemur Ethicam & solidate, & singulari rationalique methodo, virtutes depingendi, omnibus utilissimam, quam nobis reliquit Clariss. D. *Arnoldus Geulinc*, dum viveret, Philosophorum ac Oratorum omnium facilè Princeps, qui clarissimè ostendit, à multis Ethicis scriptoribus, Aristotelis mancipiis, nobis fumum venditum, proque virtutibus splendida vitia propinata.

(1) *Circumspectio* Antonio *Le Grand* ita describitur, quòd sit virtus, *quâ negotiorum circumstantiæ, cautè diligenterque attenduntur. Geulincio* verò ita:

ita: quòd *potissimum versetur circa actionum circumstantias, easque accuret, & exigat ad dictamen rationis.* Circumspectio nos, ut serpentes, oculos circumferre, & cuncta, quibus circumvallati sumus, obtueri jubet. Nam quæ hujus illiusve loci, temporis, ac personæ præsentis respectu, huic vel illi homini, licent, altero alteri non licent. E. G. Regi diadema aut calceos gemmis auroque interpunctos, gestare licet, aliis verò non. Et ubi mos fert, publicè oscalum honoris virgini figere, non indecorum id erit; at *Innocentius* XI. Papa, meritò quendam ad triremes ante aliquot annos condemnavit, quòd Romæ in templo ausus sit Virginem osculo libare. Circumstantiæ autem, ad quas circumspectus animum advortere in quovis negotio debet, trito isto versu comprehenduntur;

Quis? Quid? Ubi? Quibus auxiliis? Cur? Quomodo? Quando?

Prima circumstantia est *Quis?* scilicet persona illiusmet, qui quid aggreditur, aut inchoat, à se se contemplanda est, ne cœpto opere, vel Christi gloriæ, vel ædificationi proximi, vel sibi ipsi, damnum arcessat. Operam facturus ergò in se ipsum descendere, & quis, qualis, quantus, sit, probè attendere debet. Sumne sibi dicat, Magistratus, Rex, Nobilis, divini verbi dispensator, Medicus, Jurisconsultus, maritus, uxor, juvenis, senex, dives, pauper, doctus, idiota, imbecillis, robustus, peregrinus, incola, cælebs, servus, dominus, &c? qui hæc discrimina flocci pendet, neq; sibi curæ ducit, dum negotium adit, quis ipse fiet, is & rerum adiaphorarum, quin & virtutum, usu, probro Christum, tristitiâ

ſtitiâ fratrem, damno improbum frequentiſſimè afficiet. Rem exemplis illuſtremus! Conſtat omnibus, *beatius eſſe dare, quàm accipere.* Quid verò? ſi mendicus, qui ſummâ cum penuria conflictans, oſtiatim ſtipem & victum petiit, omnem panem pañumque, aliis erogaret, priori ratione inductus? Quam operam ſi dives præſtaret indigentiori, laudandus eſſet, cùm mendici factum labe ſuâ non careat. Concionatori multarum indifferentium rerum uſus æquè liber foret, ac aliis, niſi grave ſcandalum adnexum plerumq; eſſet. Non equidem conſcientiâ vel ulla alia lex interdicit V. D. Miniſtro veſte coloratâ, veruntamè aliorum offenſa, cujus ſæpè, mos ac conſuetudo Provinciæ, mater eſt. Nemo inficias ibit, bonum eſſe, uxori, muliebri affectu laboranti, ſolatium, opem ac conſilium ferre, id autem cœlibem, niſi in extremo neceſſitatis articulo, neutiquam decebit, ſi illud charitatis opus perdere, ſibique naſutuli temeritatem affricari nolit. *Hoc licet impune facere huic, illi non licet, non quòd diſſimilis res ſit, ſed quòd QVI facit. Terent. Adelph. Act. 5.* Unius cujuſque ergò Chriſtiani Symbolum hîc ſit, quod in Apollinis templo cœlatum extabat:

Γνῶθι σεαυτόν. *Noſce Te ipſum!*

Cap. XII.

Secunda, circumſpectionis attendenda, circumſtantia, vid. QVID? Locus Eccl. 7: 16. examinatur. Excedere modum virtutis ac pietatis poſſumus. Triſtis quorundam pietas Chriſtianam Religionem atro carbone notat. Teſtimonium Rich. Baxteri.

Altera

ALtera circumstantia, quam Circumspectio intueri debet, est τὸ QUID? docetque, illud ipsum opus, quod occipimus, ponderandum prius esse, num vid. expatiari, precari, scribere, legere, vigilare, conviviis interesse, somnum vel quietem capere, solari, objurgare, docere, concionari, jejunio domare corpus, aliudve præstare velimus. Quodcunque horum fuerit, seu in se bonum, seu adiaphorum, temperari oportet, dictante ratione, tanquam oracULO, hunc modum:

Οὐδὲν Ἄγαν. *Nequid Nimis!*

In nulla re arcus nimium, ut loquuntur, tendi debet, ne rumpatur. *Est modus in rebus, certi sunt denique fines.* Singulæ virtutes suam habent metam, extra quam si evagantur, non in grandiores virtutes, sed in splendiora vitia abeunt. Juxta regulam Lesbiam omnia demetienda, Sancta quædam Præcisaque ἀκρίβεια, virtutum maximum decus, imò ipsa earundem anima est. Neque quis mihi obvertat, quòd nimis pii esse non possimus! Quanquam enim justo major pietas nostra esse nequeat, si illa, ut est in sua essentia, natura, ac activitatis sphæra, consideretur; tamen excedere illa modum, & intemperie suâ in contrarium vitium verti potest. Ideò Salomo *Eccl. 7: 16. Ne sis nimis justus,* Qui juxta hanc regulam Lesbiam, divinumque oraculum, suas virtutes non exasciant, ab uno extremo in alterum sæpè propelluntur, teste *Horatio Sat. 2. lib. 1.*

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Callidissimus omnis boni inimicus, Diabolus, quum piis odium adversus virtutem inspirare non

possit, omnem lapidem movet, ut ipsos eò usque amore boni accendat, quò in virtutis semita æquo longius excurrant, & sic proni labantur. Magnopere nobis imponimus, quando opinamur, Diabolum tantum directè ad vitia homines, præ primis fideles, stimulare. Per cuniculos plerumque, obliquâque viâ, ad finem suum tortuosus ille serpens volvitur & leni tractu subrepit lubricus draco; id circo in hoc multùm desudat, ut pios *à defectu* virtutis, seu apertissimo ac nudissimo vitio, ac quod tàm crudè pellicere ipsos non audet, tanquam candidæ Lucis angelus, abarceat, & sub specie sublimioris virtutis, *in excessum* prosternat, dulce hoc Melos perpetuò nobis occinens:

Quo benè cœpisti, fac pede SEMPER *eas!*

Non mirum, quòd oraculum non dicat; *Nè quid minus!* sed, *Ne quid nimis!* videlicet, hîc plus laborabimus, quàm illic. Plus circa excessum, quàm defectum, piis periculi. Dum enim à vitio ad virtutem gradimur, tergumque defectui obvertentes, per viam virtutis nos proripimus, non facile resupini in defectum, quàm proni in excessum, agimur, eodem modo, quô. qui citato passu eunt, prius mento, quàm tergo, contrà verò, qui tardè, aut nequaquàm pedes movent, prius tergo, quàm mento, fallentibus vestigiis, humum quatient. Hinc fit, ut frequentiora excessûs, quàm defectûs, in piis vitia deprehendantur, quin & ipsa illa, si scil: in nobis stabulentur, non pro vitiis, sed pro summa cognatæ virtutis ἀκμῇ & gradu habeantur. Inde quoque oritur illa piorum quorundam superstitio, sive fidei superadditio, Belgis aptissimè

Bygeloove

Bygeloove dicitur, quâ illi verbo, & præceptis Dei, *superogare satagunt*, uti loquitur noster Commentator, sibi, vel aliis, tanquam legem Divinam imponentes, quod Deus tamen nullibi præcepit. Prius itaque eos nimium abstemios, quàm intemperantes, videas. (Ubi notandum, nos cum vulgo Philosophorum intemperantiam, non inter excessûs, sed defectus vitia, ponere, propterea, quòd, ubi τὸ minus, ibi defectus, ubi verò τὸ magis vel nimis, ibi excessus sit) Prius nimiæ profusionis, quàm tenacitatis labe notantur; dùm liberalitatis amore tracti, circo suo efferuntur. Prius nimiâ μικροψυχία & pusillanimitate flaccescent quàm animi elationis fastu cristam erigent; dum enim humilitatem fervidè prosequuntur in sui contemptum nimis excurrunt. Et sic quoque sanctæ cujusdam gravitatis & Senatoriæ authoritatis studio, rusticum interdum stuporem, austerosque mores, induunt: quemadmodum & *Euripides*, qui exinde dictus fuit ὁ μισόγελως ὁ μισόγελως. *Agell.* l. 15. c. 20. τῆ γαρ ἅπαξ ὑπὲρ τὸ μέτρον ὅρος ἐδεὶς ἔστιν. *Ejus enim, quod semel transgreditur modum, nullus est terminus. Epict.* c. 61.

--- *Medio tutissimus ibis.*

Invitium sæpè ducit culpæ fuga. Hor. de art. Poët.

Ubicunque igitur Ratio, Prudentiæ Magistra, Gradum sistere, imperat, Romani Imperatoris instar, hæc verba intonantis: *Signifer, statue signum, hic optimè manebimus*; nos verò immorigeri, nec rebus adiaphoris, nec virtutibus, ullum modum ponimus, in ingentium peccatorum lutum ruere nos, proclive erit. E. G. Insignem peccatorem, egregiè depexum dare, &

conducit & necesse est; at verò increpationi nullam metam figere, & τὸ ἱκανὸν, *Satis est*, præterire, quis vitio non duxerit? facile enim fieri potest, ut ejusmodi peccator, ex *abundantiori tristitiæ* eluctari non valens, ab eadem *absorbeatur*. 2. Cor. 2: 6, 7. Contundere vitulantes Corporis impetus, laude dignum; at ita illud organon frangere, ut inidoneum reddatur, *odium propriæ carnis*, & ἀφειδία τῆ σώματος est. Eph. 5: 29. Col. 2: 23. *Crudelis turbat carnem suam*. Prov. 11: 17. Sacram orationem qui habet, utilissimum opus præstat; sed qui non finem, nec ullam gratiam apud auditores invenit. Quamvis, sicut Orpheus suâ chelii, ita non illicitis Tuæ orationis blanditiis, vel feras in escare queas; attamen, ubi repagula isti flumini dare nescias, . . tribus non favebitur, sed cuncta per rimas auditoribus effluent. Doctis forsan floribus, piisque sententiis, & titillasti genium improbi, & spicula vibrasti in animum ejus; haberes ergò hominem, redituruſq; ipse esset, quô amplius perfunderetur sermonibus istis ex dulci & acido mixtis, nisi immensô istô verborum proventu ipsum repelleres. Quemadmodum is, qui Falerno vicini palatum suum mulcere gestiens, ipsum tamen adire dubitat, veritus, ne sese alter, quod assolet, nobili suo vino sepulturus ac inundaturus sit. *Omne nimium vertit invitium*, antiquum est. Pari modo, *indesinenter precari*, verùm & desinere aliquando, preces debemus. 1. Thess. 5: 17. Quid, quæso, si conjunx, perpetuæ vel lectioni S. literarum, vel preci, affixa, rem domesticam suspenderet, abjectâ, ancillarum, pecudis ac culi-

næ

næ curâ *maritumque debitâ benevolentiâ defraudaret?* 1. *Cor.* 7: 3-5? dicam, quid ex hac privatæ rei neglectione consecuturum sit; scilicet, res omnis & substantia domestica brevi in fumum abibit, ingenti illis, qui extra sunt, relicto scandalo. Impii enim & infideles in hæc de cruda ejusmodi pietate, erumpent: *Sic se habet Christiana Religio, omnis boni ordinis inimica! Præstat in nostro persistere statu, quàm illuc nos conferre, ubi, durissimo cervicibus nostris injecto lugo, æternas preces, lectiones, lacrymas, jejunia, cantus &c. conglomerare, atque ita opes nostras vento, nos aliorum irrisui, atque mendicitati, exponere debemus.* Hûc refer, quæ Piissimus Brito *Baxterus* habet, in tractu, quem *Domesticum Pauperiorum Librum* nuncupat; *dial. quinti* „ *dici. Paulus.* Totus in hoc incumbet Diabolus, „ ut putes, integram divini cultûs rationem in „ eo consistere, si perpetuis lacrumis colliquescas, „ & animum magis magisque mœstitiâ occidas „ aut Tibi suggeret, officii Tui esse, ut nec in „ mente, nec in ore, quicquam, quod mundum „ concernit, admittas, sed ut animum & linguam, „ solis, de Deo, Illius verbo, rebusque sacris, cogitationibus ac sermonibus, imbuas, reliquas „ cogitationes & sermones, tanquam vanos, reformidans; imò ut majorem atque longiorem, „ perpetuarum meditationum & haud interruptarum precum numerum & ordinem, quam „ quem vel tempus vel vires tuæ ferre possunt, „ continues. *Saulus.* Obstupeo ad hæc, Reverende Domine: Diabolus ne tàm Sanctos ciere motus volet? *Paulus.* Nonne Diabolus Christum

„ tentaturus ac cum eo disceptans ex S. scriptura
„ tela deprompsit? nonne, ut fallat, angelum lu-
„ cis mentitur? Ubi ipse Tibi securitatis ac indu-
„ ratæ nequitiæ callum inducere nequit, larvam
„ pietatis obtendens, ad Te accedet. Atque istud
„ simulacrum indutus, nullum modum pietati sta-
„ tuet. *Saulus.* Quid verò hâc agendi ratione lucra-
„ tur? an verisimile est, Diabolo curæ esse, ut nos
„ perpetim religiosiores reddat? *Paulus.* Vix asse-
„ queris, quid inde lucrari speret. Nimium face-
„ re, est omnia perdere! Totum cultum & Reli-
„ gionem tuam eâ viâ incestare satagit. Si ad us-
„ que urges lassasque equum, nonne hoc medium
„ est, quo totum iter intercipitur? Non est diu-
„ turnum strenuiorum imperium! Literarum cul-
„ tor, qui nimiâ assiduitate, cerebrum sauciat, nisi
„ reconvalescat, ad capessendam Musarum Lau-
„ ream nunquam assurget. Conjunctæ cum corpo-
„ ribus animæ, sic nunquã progredi debent, ut ista
„ æquis passibus sequi possint. Ubi Te diabolus
„ eò pertraxerit, ut mens Tua profundioribus &
„ diurnioribus, quàm quibus vel corpus vel cere-
„ brum par sit, mœstissimarum, circa Religionem,
„ rerum comtemplationibus, absorbeatur, Me-
„ lancholiâ, prius quàm sentias, laborabis, nec-
„ dum vel tùm satis gnarus, quâm maligna furia
„ ad Te diverterit: quandoquidem, cùm semel vi-
„ tiosa illa affectio animum Tuum depasci cœpe-
„ rit, ad occultas preces & investigationes prorsus
„ inidoneus eris, faciendo enim nimium, eò ventũ
„ est, ut nullum officium ritè obire possis; quin ut
„ varias inspirationum, visionum, & prædictio-
num,

„ num, ineptias, sive, quod frequentissimè accidit,
„ nescias solatii cogitationes, alas Quicquid etiam
„ audies, leges, vel videbis, id omne adversus Te es-
„ se interpretaberis, &c. Tu verò non solus exin-
„ de damnum patieris; sed & alii, quos veritatis ac
„ pietatis fulgur destituit, Te ita æstum conspi-
„ cati, in luxuriantis vitæ libidine stabilientur ma-
„ gis, & à vera Religione ac sanctitate, tanquam
„ re abominanda, & quæ non ad prudentiam, sed
„ desipientiam, sed desperationem, perducat, ab-
„ sterrebuntur. Hoc pacto, operâ Tuâ diabolus
„ callidissimè abutetur. Pontificios quosdam imi-
„ tans, qui Christianum Reformatum, formâ Dæ-
„ monis vel Asini olim depinxerunt, ut ita odium
„ adversus Religionem nostram, animis hominũ
„ infunderent; aut ad eorum exemplum, qui ter-
„ riculamenta & crepitacula in hortis & agris col-
„ locant, ut aviculæ, novitate & deformitate rei,
„ perculsæ, à frugibus abarceantur: Non aliter, ac
„ si Diabolus, in conspectu, omnium mortalium,
„ tergori tuo inscripsisset: *Ecce homo! talis evades,*
„ *ubi Pietati Te manciparis?*

Atq; num antiquus error *Messalinorum*, quos superstitio eò dementiæ adegit, ut æternis precibus sese defatigare, pietati ducerent, ab nonnullis hodie recoquatur, anxiè inquirere nolumus. Et inter Essæos fuerunt, quos à perpetuo precum usu εὐκτὰς *supplicatores Philo* vocat, & à quibus forsan suæ pietatis excessum Messalini arripuêre. Ubicunque igitur generis Humani Hostis, Lucis angelum simulans, in fidei charitatisque operibus extra carcerem nos prolicere, & hoc ingeminare avet: *Perge,*

ge, perge! Tum illius *ignitum jaculum*, objecto fidei *scuto extinguere* & reponere debemus: *Ne quid nimis.*

Cap. XIII.

Circumspectio Tertiam circumstantiam, nempè τὸ VBI, observat. Etiam Doctas & arte compositas orationes sacro Concionatori habere licet. Diluuntur objectiones, quas proferunt ex 1. *Thess.* 2: 4. 5. *Gal.* 1: 10. *Quid sit,* SIMPLICITER *loqui? Bucholzerus laudatur. Testimonium Augustini & Baxteri.*

TErtia circumstantia τῶ *Ubi* est. Circumspectio vult, ut & locum, & homines, quibus circumfusi sumus, perpendamus, antequam quicquam vel ore proferamus, vel manu aggrediamur, vel denique omittamus. Rursus, quid conducat magis, utrùm si operi nostro insistamus clam, an palam? num apud peregrinos, an apud familiares? num in templo, an in foro? Domi, an in platea? inter pios, an improbos? num inter nostræ fidei contubernales, an inter Judæos, socinianos, Anabaptistas, Pontificios &c? Eruditos, an idiotas? maritos, an cœlibes? num apud exteros an in Patria? num in diversorio, an in cœmiterio? Canæ, an Bethaniæ? apud ægrotos, an vegetos? senes an Juvenes? &c. &c. E. G. Nemò damnaverit explicationem Capitis 15. *Levit.* de αἱμορῤῥοΐσα & γονορῤῥοΐα, uti nec Capitis 22: *Deut.* v. 13-19. de παρθενίοις, modò ea fiat coram senibus, maritis doctisque viris. Verùm ista Capita coram Juvenibus, fœminis, aut in fide imbecillis, resolvere, prægrande piacu-

piaculum fuerit. Apostolus lætitiam præcipit 1. *Thess.* 5: 16. quid verò dicturi essemus, si quis nuptiales tædas gemitibus, at exequias choreis, miscere vellet? Exitus sanè non sine scandalo erit. *Rom.* 12: 15. *Math.* 11. 17. quid, quæso, de tali homine, qui posthabito circumstantiarum risu, præsentem spiritûs S. impulsum crepans, medio in foro genibus flexis preces vel pro suæ familiæ incolumitate, vel peccatorum suorum remissione, funderet? Idcircò benè *Stigelius Epigr.*

Pro ratione loci qui sapit, ille sapit.
Discite non inter lances, mensasque nitentes,
Cùm stupet insanis acies fulgoribus, & cùm
Acclinis falsis animus meliora recusat. Hor. l. 2. Sat 2.

Mille exempla, ad rem facientia, produci possent. Sed unum adhuc sufficiat. Rationem auditorum, apud quos perorandum erit Pastori, semper esse ineundam, constat. Imprudentissimè itaque is aget, qui coram plebe, aut aliis terræ fungis, tantùm Summa Mysteria & fidei apices, vel controversa capita, vel res philosophicas, idque adhibitô eximio artificio, enodare amat; Patrum in primitiva Ecclesia adinstar, qui circa quasvis res Sacras Rhetoricari, & floscolorum lenociniis auditorum animos captare, atque istiusmodi impropriarum vocum corticibus veritatem obumbrare, solebant. Quo tamen modo nihil aliud effecerunt, quàm ut abhoc fonte, varii errores de S. Cœna, purgatorio, intercessione, satisfactione &c. ad nostram ætatem derivati, fœdâ Christianam religionem alluvie conspurcarint. Verùm enim verò, non decebit, eâdem chordâ oberrare semper, & tâm emun-

ctæ, quàm obesæ natis, auditores unâ, ut ajunt, perticâ tractare, atque omnem artem ac eruditionem ubivis reiicere. Sunt quibus *exercitati* in sacris *sensus*; Suntque, qui majora cognitionis incrementa capere cupiunt, quamvis fortasse paucissimi illorum in cœtu inveniantur, non tamen eos negligere, vel ad ravim usque eadem semper illis incutere debebimus. Absit ut excusemus hujusmodi oratores, qui linguæ eloquentiam, gestuum gratiam, ac phrasium elegantiam cauponantur. Noli autem illos arrodere, qui auditorum doctioribus ita interdum loquuntur ut animis ipsorum cum suavitate illabantur, & sic Jesu Christi amorem gratâ viâ inducant. Non eâdem dape & infantes & adulti reficiendi. Etiam *solidus* quibusdam *cibus* apponendus. *Hebr.* 5: 13. 14. Verbum salutis qui spargit, prudentibus ad complacentiam indoctis ad informationem, omnibus adutilitatem, effari jure potest. Quod si autem vel solis his tenuem pultem exedendam interere, vel lautissimâ & solidissimâ dape, quam eorum debilior stomachus concoquere nondum valet, solos illos demereri velit, imprudentiæ arguendus erit, quôd tanquam spiritualis medicus, non fuerit imitatus Hippocratis filios, qui alia medicamenta contra pleuritiden, alia contra podagram, alia contra catarrhos, alia infantibus, alia adultis, & quidem, diversâ dosi, adhibeat. Experientissimis Æsculapii Cultoribus meritò despectui est, illa inanis circumforaneorum gloriatio, radicem aliquam vel oleum, vel pulverem, tanquam panaceam, contra cujusvis generis & ætatis morbos, credulæ plebi venditantium.

At

At hæc aliquibus objectionibus occurrendum est. (1) quidam ex locis ad *Gal.* 1: 10. & 1. *Thess.* 2: 4. 5. inferunt; *non esse loquendum ut placeas, aut ut titilles, λόγῳ κολακείας sermone assentario, sed tantum ut ædifices.* Resp. Ad hæc suprà affatim responsum est. Differunt præterea magnopere, *adulari*, seu loqui verba adulatoria, tantum ut placeas; & ita *loqui verba salutis*, ut placeas, sed non tantum, verum etiam ut ædifices. Placere aliis tantùm abest ut pugnet cum ædificatione, ut ædificatio sæpè, nisi placeas, vix potiunda sit. Non pauci concionatores, dum eandem semper vulgaremq; cantilenam cantant coram quibusvis, omnem penè operâ ludunt, præprimis circa Eruditos, aut tales auditores, quorum judicium non tàm in ratione, quàm in oculis ac auribus existit. Cum discrimine sacra hæc potio miscenda cœtui. Utere ergò verborum elegantiis & arte; deprome ex eruditiori mentis penu, quibus adamantina hominum sapientum pectora emollias! Absit dente Tuo flagelles Ambrosii & Chrysostomi eloquentiam! Non equidem laudo, notatas antea, Patrum Rhetoricationes perpetuas; eloquentiam laudo, artem laudo; quam tamen forsan majori prudentiâ sæpè temperare debuissent. Utinam intereà & nobis esset χρυσῆν στόμα, qui Deum hominibus suademus, ut lautissima ἀμβροσία ex eo in animum auditorum quorumcunque defluaret! quemadmodum enim David, quem Hieronymus *Ecclesiæ Dei Pindarum*, appositè dixit, mellitissimo suæ cytharæ concentu malignum spiritum abegit, & Orpheus *dulcissimo musices* impetu, feras mitigavit; Sic & eruditâ concionatores linguâ ferocientes

entes animos, felicius longè compescent, quàm si perinde habeant, *stridenti miserum stipulâ disperdere carmen*, Ubi verò talis de suggestu verba facit, qui singulis & placere & prodesse studet, tum

\- - - - *silent arrectisq; auribus adstant.*

Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Talis erat Paulus, quem propterea Festus *magnum* duxit. *Act.* 26:24. Quod mera spicula, sed non ingrata, & voce & gestu vibraret, atque orationis præstantiâ intima cordis adyta penetraret. vers. 1. *Melchior Adami in vitis Theol. Germ. de Bucholzero* ait: *Vivida in eo omnia fuerunt, vivida vox, vividi oculi, vividæ manus, gestus omnes vividi &c.* Et sanè, cum *finis oratoris sit persuadere*, omnia mēdia huc facientia usurpanda sunt, ut fine nostro potiamur. Nec S. Scriptura hâc in re nos deserit. *Prov.* 15:2. *Lingua Sapientum*, תיטיב דעת, *bonam* ac gratam *reddit scientiam*, h. e. *quæ notificat, sedulò & aptè notificat, & facit, ut scire sit audienti jucundum & facile. Prov.* 16:21-24. *Qui animo sapit, vocabitur prudens. Et suavitas labiorum augebit doctrinam. Fons vitæ est prudentia, possidentium ipsam; at institutio fatuorum, stultitia est. Cor sapientis prudenter moderabitur os suum, & labiis suis adjiciet dulcedinem doctrinæ. Favus mellis sunt sermones jucundi; Res dulcis animæ, & medicina ossibus. Col.* 4:6. *Sermo vester semper sit* ἐν χάριτι, ἅλατι ἠρτυμένος, *cum gratiâ & sale conditus. Phil.* 4:8. ὅσα προσφιλῆ, *quæ amabilia sunt, perpendite. Eph.* 4:29. *Nullus sermo putris ex ore vestro egrediatur, sed si quis est bonus, pro necessitate ædificationis;* ἵνα δῷ χάριν τοῖς ἀκούουσιν, *ut gratiam det audientibus.* In quæ verba Pauli ita *Grotius*: *cùm Apostolus de ædificatione*

catione jam dixerit, optimè fortè quadrabit, si ad oblectionem sanctam referas cum Luthero sic vertente, daß es holdselig sey zu hören. *Filii hujus mundi ad carnis delectationem suos sermones comparant, eam quærentes in obscœnitate, & scurrilitate. Alia est oblectatio sancta, sicut gaudium spiritus à gaudio mundi plurimùm differt. Rosa fragrans & flores odoriferi, non solum utiles sunt tuendæ, reparandæq; sanitati corporis, sed etiam suaveolentiâ suâ oblectant: Sic odoramentum odoris grati percipit, qui sanctum sermonem audit. Sic ergo vult Apostolus sermonem Christianorum esse comparatum, ut spiritui jucundus sit & amabilis.*

Secundò (2) obiiciunt: *Et ipsam S. scripturam, divinæ voluntatis Interpretem, planè & simpliciter loqui; adeòque eum, qui tanquam Christi legatus verba facit, recedere ab illius simplici genio non debere.* Resp. Vereor, ne multi hâc ratione & insciti am & indiligentiam, supinumque circa libros animum, palliare nitantur. Egena quoque domi Invidia, alienas dotes, & laudem Λογοδαιδάλων, forsam exculpere ita tentat. Artes enim atque virtutes optumæ, plerumque à Livore vexantur.

Livor tabificum malis venenum,
Intactis vorat ossibus medullas,
Non lux, non cibus, est suavis illi;
Nec potus Iuvat, aut Sapor Lyæi;
Nec si pocula Iuppiter propinet.

Sed ut directè magis respondeamus, sciendum est, phrasin illam, *simpliciter loqui*, duplicem sensum continere; *aut* significat, distinctè, clarè, sine plica, apertè, loqui. Ejusmodi autem claræ & distinctæ locutioni, non officiunt metaphorarum & allego-

legoriarum flores. Si quidem, si illæ non nimis obtortæ aut longius petitæ sint, sed secundo flumine allabantur, dilucidissimè rem exprimere & oculis sistere possunt; cùm contrà simplicissimæ, & vel Rure obviæ voces, ita sæpè innectantur sibi invicem, & malè digerantur, ut Abrahami vervex citius ex suis dumis, quibus implicitus hæsit, quàm Oedipus ex istis tricis, & malè dispositorum verborum vepretis, emergere queat. Atque isto sensu verum est, quòd S. scriptura *simpliciter loqui* amet, h. e. quòd obscura non sit, quamvis impropriarum locutionum floribus veritatem subinde depingat. Neutiquam tamen inficias iverim creberrimè veritates quasdam tam sublimi stylo exaratas, ut multâ indagine, ad eas, eliciendas opus sit. Adeoque sacras literas non ineptè cum veteribus conferis illi fluvio, qui è templo ruebat *Ezech.* 47: 1-5. & cujus vadum & ab ove transiri, & etiam Elephantem lassare possit. Atque sic sacras orationes formari necesse est, scili. ut semper sint dilucidæ & intellectu faciles, juxtà autem ita temperatæ, ac mixtæ, ut & doctorum & indoctorum palatum afficiant. *Aut* per *το simpliciter loqui*, significamus; indoctum, vulgarem, pedestrem, quotidianum, insipidum & secundum Præcepta Rhetorum minimè accuratum sermonem, instituere. Nemò dixerit, S. scripturam hujuscemodi simplici stylo uti. Videatur Eximii Philologi *Glassii Rhetorica Sacra*. Et idcircò Rustica hæc simplicitas, quâ omnis orationis honos ac gratia eluditur, sacrum oratorem prorsus dedecebit. Illepido enim & invenusto hoc sermonis genere, vix illiteratos erudi-

erudire, multò minus prurientes genios, & κνηθομένας τὴν ἀκοὴν, oblectare, minimè omnium, alicui veritatem persuadere, poteris; quæ tamen cuncta præstare necesse est, juxta ipsissimum *Augustinum de Doctr. Christ. l. 4. c. 12. 13.* ubi is inquit: *Ita dicere debet eloquens, ut doceat, ut delectet, ut flectat. Docere necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriæ. Hæc autem tria eò tendunt, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur. Orator debet docere, propter ignaros, delectare propter plurimos fastidientes veritatem, nisi adjungatur dicendi suavitas, movere propter duritiem.* Huc faciunt, quæ, nominis pietatisque celebritate notissimus, *Rich. Baxterus* in libro, quem titulo *Quietis Sanctorum* „ in signit, *part. 3. c. 13. §. 9.* affert: Operam da„ bis, ut castigatissimis loquendi formulis veritatem exprimas. Multi concionatorum præstan„ tissimas & maximè necessarias res tàm crudo & „ insulso modo propinant, ut audientes nauseent „ ad istum cibum quo victitare deberent, & sa„ cras istas sermocinationes, quas stupere oportet, exsibilent; præsertim, ubi aurium teneritudinem carnalibus animis junxerint, & Judicio „ aliisque dotibus concionatorem antecellant. *Si Medici, salubres, & voluptatis parum habentes cibos, blandioribus alloquiis prosequuntur; quantò magis decet publicè consulentem, utilissimum munus, sed non perinde populare, comitate orationis inducere? Plin. l. 1. Ep. 10.*

CAP. XIV.

Aliis objectionibus occurritur, quas ex Rom. 16: 18. 1. Cor. 1: 17. 2: 1, 4. 4: 19. 20. Col. 2: 4. item ab anti-

antiqua consuetudine, & Novitatis periculo, pe-tunt, ac contra istas, arte & eruditione politas, orationes jaculantur. Non omne quod novum est, respuendum Tacite & Mart. Hundii verba.

ADhæc alii, (3) addunt, Paulum de se ipso toties testari: *se non χρησολογίᾳ καὶ εὐλογίᾳ blandiloquentiâ, & accepto sermonis genere, neque etiam verborum sapientiâ, aut eminentiâ facundiæ, & humana persuadendi peritiâ neque denique ἐν πιθανολογίᾳ orationis probabilitate, sed cum demonstratione spiritûs & potentiæ, Evangelium annuntiasse.* Rom. 16: 18. 1. Cor. 1: 17. 2: 1. 4. 4: 19. 20. Col. 2: 4. Resp. Paulus ex hypothesi Ethnicorum Rhetorum & Oratorum, Philosophorum, Sophistarum, Poëtarum, Comicorum ac Scenicorum, loquitur, *quibus* Evangelium & *Crucis sermo* tanquam frigidissima *stultitia* sordebat. 1. Cor. 1: 18. 2. Cor. 11: 13-21. Illi suæ tamen mentis ac Poëtices lusus, Philosophica placita & Pulmenta nec non, Pumicatas Orationes, ebriique ac somniantis cerebri errores, tanquam divam sapientiam admirabantur, & illismet popularem auram. vulgique applausum, ac laureolam, in theatris, Gymnasiis & rostris, ambibant, nil plus in voto, atque scopo habentes, quàm *os populi meruisse*, ut *cedro digna locutos*. Hoc ergò vult dicere Apostolus: Istius modi πιθανολογίαις, verborum phaleris, comptisque sermonibus, ac σεσοφισμένοις μύθοις *argutis fabellis* 2. Pet. 1: 16. non annuntiari Evangelium; qualibus hujus seculi sapientes, tùm Judæi, tùm Græci, nihil aliud, quàm gloriolæ palmam, plebis pollicem, & quasi aureolam

lam in mustaceo, venantur, & sæpe etiam nanciscuntur, quoniam prurientes auditorum suorum & aures, & concupiscentias, fucati sermonis thymo, scitè lactare & delinire norunt. 2. *Tim.* 4: 3. 4. quemadmodum & hodie Socinianorum doctrinæ ita comparatæ sunt, ut cuivis religioni, ratiociniis humanis, ac libidinibus, adhinniant. Non his vestigiis veni, ait Paulus, sed ἐν ἀποδείξει πνεύματος, καὶ δυνάμεως. 1. *Cor.* 2: 4. *Primò*, in, vel *cum*, *demonstratione spiritûs*, h. e. ἐν φανερώσει τῆς ἀληθείας πρὸς πᾶσαν συνείδησιν ἀνθρώπων, *cum manifestatione veritatis ad omnem hominum conscientiam.* 2. *Cor.* 4: 2. sive, quod idem est; ἐλέγχω περὶ ἁμαρτίας, καὶ περὶ δικαιοσύνης, καὶ περὶ κρίσεως *Ioh.* 16: 8. *convictione de peccato, & de justitia, & de judicio*, seu, quòd omnes homines, *qui non credunt* in filium Dei, peccato & pœnæ peccati obnoxii sint, præcipuè, cùm ille ante *abitum ad Patrem* & in cœlos, omnem *justitiam* necessariò adimplesse prius, & posthac omne ei *judicium* datum esse, eapropter quòd Princeps hujus mundi judicatus & pristinâ in gentes potestate exutus sit, facile videri possit. Uno verbo; *cum demonstratione Spiritûs*, quòd omnes homines miseri peccatores, Jesus Christus nostra justitia, & suæ Ecclesiæ caput, adeoque fide verâ dignus sit. *Secundò*, ἐν ἀποδείξει δυνάμεως, *cum demonstratione potentiæ*, h. e. cum tot signis & prodigiis καὶ ποικίλαις δυνάμεσι *variisq; potentiæ seu virtutibus.* *Heb.* 2: 4. *Act.* 2: 22. Conferamus hæc omnia in compendium! Paulus vult: non protuli talia, quibus abblandirer carnalibus hominibus, effingendo Deos mortalium similes, palpandaque naturæ corru-

ptæ, sed convici ipsos virtute Spiritûs S. & aliis signis & prodigiis, quæ divina per me potentia est operata. Eant nunc illi, qui citatis locis contra Eloquentiam, scientiamque doctè & affabrè concionandi, abuti conantur. *Nisi enim & ex ipsius Pauli lingua Atticus sermonis favus destillasset, eximiusque ille Orator fuisset, frustra ipsum Lystrenses Mercurium, Eloquentiæ Deum, dixissent. Act. 14: 12.*

Restat ut (4) unicum, quod objectare solent, excipiamus. *Antiqui*, ajunt; *nihilominus homines alios converterunt, quamvis novo istiusmodi infundibulo, & cum tot mellitorum verborum, morum, & gestuum dulcore, fidem & pietatem ipsis non ingesserint.* Resp. *ut homo est, ita morem geras!* Pristinis auditoribus non tanta aurium libido, neque tàm γεγυμνασμένα ἀκοητήρια fuerunt. Hinc simplicissimum pro cibo lac sufficiebat. Nunc, cùm totus orbis immutatus sit, & veteres escas fastidiat, elumbem antiquitatem velle sapere, desipere est. Huc pertinent concinnæ istæ similitudines, quas adfert Eruditissimus Author libri, **Geistliche Red-Kunst vertheidiget**/ quò Lectorem, plura de hac re discere cupientem, remittimus. Ita autem ille:

„ Mundus hodiernus multum distat ab illo veteri,
„ ubi homines glandibus querneis, velut dulcissi-
„ mis gulæ illecebris, delectabantur. Circa scien-
„ tiarum ac artium oblectamenta, adeò hodiè gu-
„ stus immodestus & libidinosus est, ut non tan-
„ tum ipsam potionem, quam aure, velut animæ
„ nostræ ore, haurimus, dulcem atque palato gra-
„ tam optemus, verum etiam ipsum vasculum, quo
„ illa nobis propinatur, non minus speciosum, &

quasi

„ quasi deauratum esse, atque ita rem, cum modo
„ proferendi, convenire, cupiamus. Similiter ut
„ ars militaris pristinis ævis planè alia, & velut
„ puerilis lusus habenda, si eam conferas cum ter-
„ rificis, & Jovis fulmina æmulantibus, tormen-
„ tis æneis, & cum mille generum fistulis ferreis;
„ Lethiferisque ac Inferos lacessentibus bombar-
„ dis, quæ omnia erudita nostrorum seculorum
„ Pallas invenit. Prouti ergò, si in pristina tempo-
„ ra oculos retorquemus, & cum nostris ea com-
„ paramus, inversum fere mundum, & hodiernos
„ homines alio quasi numine afflatos putamus; ita
„ & ars, naturæ æmula, juxta hodierni mundi na-
„ turam, componere sese debet. Hoc perpendere
eos velim, quorum Palato nihil ingratius est, quàm
quod novitatem resipit. Non equidem illam Pla-
tonis Legem, quâ præcepit, ne quid in rebus ad
religionem spectantibus, innovetur, convellimus;
circa antiquissimum enim fundamentum & prin-
cipium fidei, quæ nobis ab Apostolis tradita est,
veritatesque abinde sponte emanantes, tenacissi-
mè obhærere nos oportet, at in faciliori modo tra-
dendi, inque studio eliciendi plures & abditas veri-
tates, proficiendum cotidie est; quod sine novarum
rerum inventione ac piissimâ siti fieri nequit. Me-
ritò Athenienſium juxtà atque aliorum urens illa
in nova prurigo carpitur, verum illos homines ni-
hil plerumque titillat, quàm quod novitatis specie
incrustatum est:

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι
Ἥτερ ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.

Illam cantilenam magis celebrant homines, quæ audi-

entibus noviſſima advenit. Hom. Adeoque non novitatis veritas, Deum authorem deprædicans, eſt, quâ illi capiantur, ſed vel ſolius famæ, vel veritatis, inchoantis, novitas. Quid? quòd Chriſtus verum *edoctumque in regnum cœlorum ſcribam* ſimilem velit eſſe, *Patri familias, qui* tanquam promicondus, *ex theſauro* & cellis ſuis conditoriis *nova & vetera profert? Matth.* 13: 52. h. e. quemadmodum providus rei domeſticæ Herus, frumenta ac vina nova, hornis, addit, & pro lubitu convivarum exinde promit; ita ſub novo fœdere diſpenſatores verbi eſſe debere, ut vetera, quæ omnibus ſemper nota fuêre, & nova, quæ hactenus ſub obſcuritatis fronde delituerunt, *in medium* atque lucem edere poſſint; qualem ſe ipſe Chriſtus præſtitit toto capite *Matth.* 13: quoties etiam, ſecundum datas novo fœderi promiſſiones, intelligentia & cognitio magis adoleſcit, toties illud incrementum, quod priori cognitioni accedit, novi quippiam eſt. Is ergò, qui omnem novitatem, tanquam infectos latices, devitat & remoratur, ſoli venerandæ vetuſtati Muſas litans, is cum Philiſtæis multarum veritatum ſcaturiginem obſtruit, & omnem proſulturæ amplioris cognitionis ſpem, infauſto labore ſuffocat. *Vetera extollimus, recentium incurioſi*, quanquam *nec omnia apud priores meliora, ſed noſtra quoque ætas multa laudis artium imitanda poſteris tulit. Tacit. Annal.* 3. Digniſſima cedro verba *Martini Hundii* τῦ μακαρίτε, quæ extant *Diſp.* II. *de novitate dogmatum in Theol.* §. 34. §. 35. & §. 36. noſtris interſeramus: *Contextus Matth.* 13: *permittit*, inquit ille, & *phraſeos analogia etiam ſuadere videtur, ut ſuſpi-*

suspicemur Christum his verbis tacitè promittere, Deum cum progressu regni cœlorum, scribis in id edoctis benedicturum eâ benedictione, quanquam spiritualiter, quam pollicetur Israëli Levit. 26: 10. Comedetis vetus, valde vetus, & novis supervenientibus, educetis, simulque adeò spondere, nunquam defuturam in mysteriis hujus regni proficiendi, & profectus suos aliis impertiendi, occasionem & segetem. Non modò rei, sed & verborum convenientia, facit mihi in mentem venire, & verbis Christi subjungere verba Salomonis Cant. 7: 14. ubi de Ecclesia etiam seriorum temporum N. Test. dicitur, quòd sponso suo reponat pretiosos fructus, recentes simul & veteres: quibus inter alia, quæ huc referri possunt, significantur quoque novi in cognitione Christi, & regni ejus, profectus qui dantur suis quique temporibus, & quæ inde nascuntur, ob novam illam lucem, novæ lætitiæ, nova cantica, & novæ gratiarum actiones. Confer Psal. 33: 3. 40: 4. 96: 1. 98: 1. 144: 9. 149: 1. Jes. 42: 10. Apoc. 14: 3. 15: 2. Cum quibus convenit novum illud vinum, quod Christus in Regno suo stipulatur suis Matth. 26: 29. Luc. 22: 16. 18. & dubio procul non unius est temporis. Quod novum vinum, si quis fastidiat, eiusque saporem ferre nequeat, næ metuendum est, vel illi veteris alicujus vappæ, quam antiquus serpens ipsi propinaverit, vitio, omnem periisse gustum, ut palato ejus nihil boni sapiat; vel illum, jubente præstigiatore & veteratore aliquo, ut est in proverbio, vappam factam esse. Non licet mihi emittere expressam cognitionis, ultimo Ecclesiæ N. T. tempore agendæ, promissionem, quam legimus Dan. 12: 4. 9. Penè dixerim, furiosæ esse temeritatis affirmare, ita omnia solius Danielis (ut de aliis Prophetis hic taceam)

vaticinia, ad ultima usque tempora obsignata, hodie planissimè recluſa, & ſigilla, librosque omni modo aperta Apoc. 5: 1. 2. ſeqq. eſſe, ut hæc de augendâ noviſſimorum temporum cognitione, ſacrarum literarum Prophetia, omni gradu & menſurâ, repræſentata dici poßit; & Eccleſia quidem impoſterum pergat creſcere membrorum numero, & ætate, ne hilum tamen poßit amplius proficere ſapientiâ, etiamſi omnium præteritorum ſeculorum operâ, meditationibus & laboribus utatur, atque proficiendi adminiculis, præ omnibus, qui hanc ejus ætatem præceſſerunt, ſit inſtructior. Rectè Hor. Ep. 1. l. 1.

Indignor, quicquam reprehendi, non quia craſſè
Compoſitum, illepidève putetur, ſed quia nuper.

At *ne quid nimis*! Ex præteritis itaque liquet, circumſpiciendum eſſe τὸ, ubi, ſeu ſpectatorum auditorumque coronam. Noſtro autem opere, quod coram illis occepimus, non tàm favori, amorique hominum, quàm DEI honori, capiundo, ſtudeamus. Symbolum noſtrum hoc loco ſit tale:

אתה אל ראי *Tu Deus viſionis meæ! Gen. 16: 13.*

ſive, quid idem eſt,

יהוה יראה, Ἰησοῦς Θεὸς τῶν, *Deus hoc videt! Gen. 22: 14.*

Cap. XV.

Circumſpectio ad quartam & quintam circumſtantiam, nempè τὸ Quibus Auxiliis, & τὸ Cur, advertit. Quid ille circumſtantiæ ſibi velint? non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Multorum veterum bona intentio, latam ſubſequentibus malis viam aperuit. Sibyllarum carmina à Patribus efficta. Quicquid, per & propter

propter animi passiones, boni agimus, omni laude & virtute caret.

QUarta circumstantia in his verbis latet; *Quibus auxiliis?* Illa indicant, omnia media, quibus ad scopum nostrum duci possumus, considerandа prius esse, utrum mala sint, an bona? facilia, an difficilia? certa an incerta? periculi plena an vacua? &c. Symbolum huc pertinens, monet;

Non esse facienda mala ut eveniant bona!

Sive, ut illa media, quæ facilima, tutissima, atq; certissima sunt, eligamus, modò ea quoq; sint Ethicè aut moraliter bona, saltem indifferentia, omnique mali specie careant. Vide *Sanderson prælect.* 2. §. 4. Per mala autem media, non intelligimus tantùm ea, quæ in se se & moraliter mala, sed etiam ea, quæ certo intuitu, & accidentaliter, mala sunt, aut fieri possunt. Adeoque perquàm necesse est, ut æque bonis mediis, ad finem potiundum idoneis, ac bono fini operam demus. Carolus. M. Imperatorio fastigio dignissimus, dubio procul, optimâ intentione ductus fuit, cùm Ecclesiam Romanam tantâ bonorum ac divitiarum messe oneraret; verùm eo ipso medio sedes Romani Pontificis maximopere suffulta est. Istas divitias atque bona asservare, & ex iis pastores & clericos sustentare, Evangelio convenit; attamen, castissimo toro excludere pastores, ne tàm facile illa bona dissipentur, id Paulo malè audit 1. *Tim.* 4: 3. Primus, qui sylvas & deserta adiit, Eremita, sine dubio, hunc optimum finem obtuitus est, scil: ut pacatius Deum colere, & sine vel ullo armorum metu vel urbium strepitu, prece & attentâ animâ cœlum haurire, inque men-

tis ſuæ ſinum, ſub liberiori dio, divinæ gratiæ imbrem, colligere poſſet: Verùm propterea mundo exire, & omne humanum commercium fugere, non procul à vitio & μισανθρωπίᾳ abeſt. Et hinc promanavit peſſima illa conſuetudo, per ſylvas & Lybica deſerta oberrandi, clauſtraque & carceres in montium cacuminibus, vel umbroſis vallibus, excitandi, quibus ſæpè liberrima ingenia, & civitatibus nata æque ac illi, quos natura ad fuliginem foci abjecit, non ſine perpetuo mœrore, includuntur, ubi pœnam temerè nuncupati voti reddunt. Hinc quoque tanta illa & diverſicolor Monachorum multitudo, & intemerati thalami fuga ac deteſtatio, &c. Bonum, piumque ſcopum intendebat Jacobus, cum benedictionem Parentis appeteret; at nemo excuſet, quòd mendaciis Patrem circumvenit. Conjugali amori prudentiam adhibet Michal, cùm è ſceleratis Saulis manibus maritum eripit, poſitâ in ſimilitudinem Davidis in lecto imagunculâ ſeu pupâ, Teraphim. 1. *Sam.* 19: 12. 13. Quis verò laudet, quòd mendaciis fraudem operiat? v. 14-17. Piiſſimus quoque ille antiquorum Patrum Zelus, quo ferebantur in gentium converſionem, multùm collutulatus fuit, illaudatis iſtis artibus, quibus verſus domi effictos, pro genuino Sibyllarum labore ac Prophetico furore, gentilibus obtrudebant vide *Pet. Petitum de Sibylla*, nuper Lipſiæ editum. Niſi cum *Orveno Theol. p.* 161. *t.* 2. putemus, Priſcillam & Maximillam, Montani Prophetiſſas, centones iſtos compoſuiſſe. Verba illa, Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς Σωτὴρ, quæ Sibyllas cecinisse dixerunt & putarunt, antiquorum & hodier-

diernorum non pauci, quæque Augustinus, Magnum in orbe nomen, admiratus est, clariora sunt, quàm ut vel veteris fœderis prophetiis subobscuris, vel afflatis à Satana mulierculis, & ambigua plerumque crocitantibus, respondeant, nam

Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroq; remugit,
Obscuris vera involvens.

Verùm enim verò ne quis putet, nos, cum mediis moraliter malis, media quoque physicè mala rejicere: Siquidem nec Rationi nec S. Scripturæ adversatur, etiam cum rerum nostrarum dispendio, Regnum cœlorum dilatare. Sin autem ejusmodi tantum mediis semper utimur, ad finem obtinendum, quæ nec sanguinem nec carnem nostram urunt, sed potiùs mulcent, tùm nobis ipsis finis, quem intuemur, sumus. Qui morbo correptus, pristinas vires sibi redditas cupit, non abnuet amarissimam potionem. Quantopere multi salutem proximi promovere possent, modò Mammonæ abundantiam aliquantulum effluere paterentur? Pauculorum denariorum, & panis micarum, atque aliquot guttularum, liberalis effusio, fœcundissimam bonorũ fructuum segetem sæpè facit. *Pecuniam in loco negligere, maximum interdum est Lucrum.* Unde fieri putas, quosdam, qui cætera media bona usurpant, quibus proximum Christo lucrentur, nihilum tamen proficere, se verò exosos magis reddere? pecuniam Cererem atque Bacchum, in loco non negligunt. *Horat. l. 1. Sat. 1.*

Non uxor salvum te vult, non filius: omnes
Vicini oderunt, noti, pueri, atque puellæ.

Miraris, quùm tu argento post omnia ponas,
Si nemo præstet, quem non mereare, amorem?

Scævola tantum patriæ amorem impendit, ut dextram pro ea in Porsennæ castris exureret. Et Christianum decet pro carissima proximi anima, si res poscat, vitam, opes, bona, honoresque, exponere. Atque hoc liberalitatis medium plerumque, & facilimum & certissimum, nec non tutissimum est, præcipuè, cùm, cunctis mortalibus probata, comitas & humanitas accedit, quæ instar gratissimi Solis, frigidissimæ glaciei duritiem emollit. Quæ virtus summopere commendavit *Euphratem* Philosophum Syrum, de quo *Plin. l. 1. ep. 10.* ita: *Nullus horror in vultu, nulla tristitia, multum severitatis. Reverearis occursum, non reformides. Vita sanctitas summa, comitas par. Insectatur vitia, non homines. Nec castigat errantes, sed emendat.*

Hactenus de mediis. Quinta circumstantia nos deducit ad ipsum finem, docendo, ad τὸ CVR mentem reflectere. Finis autem Prudentiæ Ecclesiasticæ est, DEI gloria, salus Proximi. Monemur ab illa particula *Cur*, ut mordicus insistamus nostro scopo, nec, ut loquuntur, extra oleas evagemur, aut aliud agamus, nec media in finem, aut finem in medium, ad alienum finem potiundum, commutemus, ἃ δεῖ ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν. *Non debemus terminos transilire.* Symbolum Prudentis, hîc erit:

Age, quod agis! sive, *ne præter Scopum!*

Si quà Herus famulo mandat, ut vasa vinaria ad os adimpleat, ne deficiant; finis famuli esse debet, voluntatem heri sui exequi, medium, vasa adimplere. Si

Si verò idem famulus id, quod in mandatis habuit, præstet, non tamen alio intuitu, quàm, ut siticulosam animam vino reficiat, is finé in medium, mediumque in finem, convertit. Pari modo quidam proximo fidem persuadere conantur, sed eapropter tantùm, ut sibi honorem, opes, alia, acquirant. Quis finis sit Emissariorum Romanæ curiæ, Orientales plagas, Pontificiis scitis subdere allaborantiũ, facilè ex eo pernoscitur, quando timet Conversis, terriculamenta Indica, juxta crucem, adorare indulgent. Finis hâc ratione in medium, ad alium finem nanciscendum, transit. Plurimi, ubi rogâris eos, quem finem sibi, isto Christianæ libertatis usu vel neglectu, præstituerint, τὸ συφὸν φάρμακον, & vulgarem excusandi rationem, obtendent, vid. se istud agere vel omittere propter Dei gloriam, Proximique salutem, cùm tamen, suo isto libertatis usu aut neglectu, vel suam commoditatem, vel præcisæ pietatis famam, vel aliud quid quæsiverint, & sic ipsi sibi scopus, seu finis Cui, fuerint. Nisi fallor etiam illi, qui ad summum Pietatis culmen in hac imperfectione assurgunt, nonnunquam, hac in re offendunt. Quotusquisque est, qui non alio calcare, quam divinæ gloriæ studio, ad sacras Musas, suggestumque, accendatur?

Et passiones animi non minus, omnem fragrantiam à virtutibus nostris, suo fœtore, propulsare possunt. Si enim per & propter illas quidquam aggrediamur, philautia, finis noster erit. Non laudo illam Stoicorum ἀπάθειαν, quæ Ciceroni *indolentia* vocatur, neque id omne peccatum esse dico, quod concomitante animi affectu, in nervum erumpit, sed

ſed tantum id vitiis do, quod vi & dictamine paſſionis, efficitur. Tunc enim ſedatio & mitigatio ebullientium illarum paſſionum, & ſic nos ipſi, nobis finis ſumus; atque etiam hoc pacto, finem in medium philautiæ noſtræ, mutato ordine, transferimus. E. G. ubi hominem fœdâ vitiorum ſcabie tabeſcentem increpare neceſſe eſt, irâ nos accingi oportet; ſi verò idcircò increpamus, quoniam irâ ſtimulamur, tùm animi impatientis motus noſter ſcopus eſt, quem ſedatum cupimus. Neque enim propterea caſtigamus, ut emendemus hominem, ſed ut inquietum noſtrum animum ſopiamus. Πρὸς σοφὸν ἀνδρὸς, ἀσκεῖν σώφρονα ἐυοργησίαν. *Sapientem virum decet, exercere prudentem iram.* Vereor etiam, ne multi miſericordiæ opus miſero exhibeant, non quòd S. Scriptura, aut ratio, ſed animi paſſio, nuperet. In China mendici pectus ſuum ſaxis percutiunt, aut caput parietibus impingunt, ut ita ſpectatores ad commiſerationem, & hæc illos ad liberalitatem, commoveat. Ubi ergò quis iſtiuſmodi impoſtori quippiam largitur, non mendici, ſed ſui gratiâ largitur, nimirum ut alter deſinat paſſiones ipſius agitare, ipſe verò agitatas largitione quâdam, quâ mendici miſeriam minuit, pacare poſſit. Ex quibus conſequitur, quòd prudentia velit ſcopo firmiter nos adhærere, nec à paſſione ſed ratione, ad finem impelli oportere. Sed heu! vix ullus adeò Rationi auſcultat, quin ſæpius ab affectibus inebriatus, Magiſtræ Rationis monita parvi faciat, uſque dum ex mari microcoſmi, ſeu ſanguineo corde, in altum ſublati vapores, qui Rationis lumen obnubilaverant, diſſolvantur, & pri-

pristini syderis radiis viam pandant. Similis esse debet Ratio Gubernatori navis; nos, peregrinantibus, qui cum Gubernatore in hunc illumve portum contendunt; passiones verò Remigibus, aut expansis velis. Remigibus & velis summopere opus est, citius enim ac facilius eorum ope scopum seu portum tenemus. Absit autem, ut eos Gubernaculis admoveamus, rejectâ ab iisdem Gubernatrice ratione nosque ipsos in Remigum loco ponamus, qui novos Rectores, ecco obsequio revereamur. Hoc enim modo, quamvis in præfixum scopum & portum invecti fuerimus, attamen id cum periculo, & spumantium fluctuum murmure, atque hunc tantùm in finem, factum est, ut difficili & rigido nostro Rectori pareremus; quod obsequium alioquin non potuissemus præstare, nisi cum illo in portum velis rapidissimo vento concessis, abiissemus. Atque ita medium in finem, ac finis in scopum commutatus est.

Cap. XVI.

Sexta circumstantia est τῶ QVOMODO?. Hæc duo posit, animum scil. serium, & sincerum. Adverbia nostras actiones probant. Tristes mores non semper ex pietate oriuntur. Pia innoxia remissionis genera amplecti licet. Geulincii verba aurea.

Sexta circumstantia, quam circumspectio observat, est τῶ *Quomodo?* Hac monemur, modum ac rationem cœpti operis perpendere, quo animo id simus facturi? utrum frigidè an studiosè? jocosè an seriò? tetricâ an humanâ, expositâque fronte?

te? severè, an comiter? rigidè an benignè? invito an prono animo? fucato an sincero pectore? &c. Possumus huc trahere illud πολυθρύλλητον; *non verba, sed adverbia salvant*; aut sicut Ovvenus *l. 3. epigr. 168.*

Adjectiva parum prosunt, Adverbia multum.
Non Bona tàm pensat, quàm Benè facta Deus.

Præcipuum, quod huc facit, Symbolum, sequens erit:

Σπουδαίως καὶ Ακεραίως! *Seriò & Sincerè!*

Scilicet, promovenda proximi salus, non solùm summo studio ac diligentiâ, nec non benignâ atque obviâ humanitate, sed præprimis *serio & sincero animo*. Plurimi verè fidelium hîc impingunt, suæ pietatis magnitudinem, cum tristi morum suorum difficultate, cometientium. Illi, quos tetrica natura ad amaritudinem & asperitatem restrixit, caperatam frontem, atque corneam fibram, pro summa pietate sæpè ducunt; atque Isaacum, cum uxore jocantem, tanquam impium, obliquo oculo ac dente carpunt. Quasi verò morum comitas & explicata frons, vanæ levitatis germana esset, aut innoxiæ remissiones ac joci, omnem gravitatè, seriamque sinceritatem, expungerent. Utinam istiusmodi melancholici, & quorum animos cruoris atror tristitiâ tinxit, sanguinis intemperationis impulsus, à motionibus spiritûs S. melius discernere nossent! Non enim fas est naturæ convulsiones, numini dare, & alios ob id objurgare, ad quod natura nostra non propendet, quod objurgatione dignum non est. Adeoque nostrum symbolum, sive τὸ σπουδαίως καὶ ἀκεραίότης, non abhorret ab humanitate, quæ Prudentiæ Ecclesiasticæ quasi fistula & avicula

avicula est, quâ reliquæ illiciuntur; quin ne quidem à jocorum, risûs, næniarum, ac fabellarum usu aut lusu, modò eadem & linguæ & aurium honestatem non vulnerent. De quibus plura inferius. Istiusmodi enim lusus apud pios ac fideles Christianos naturam suam quasi amittunt, & in maximè seria transeunt. Etiamsi verò in externis operibus paritas quædam piorum, impiorumque, appareat, immensè tamen quoad intentionem distant. Hi suam voluptatem, illi salutem proximi captant. Quanta inter incendiarium dissimilitudo, & illum, qui quasdam ædes pyrio pulvere disjicit, ut proximas ab incendio tueatur? Et Paulus frumentum in mare projecit, non ut eo facto oculos aut animum pasceret, sed ut allevatâ navi, homines præsenti periculo eriperet. *Act.* 27: 33-38. Sic Morum germanitate, aliorum affectum attrahere, & posito supercilio & asperiore severitate, jocis fibulam interdum laxare, præstat, quàm inexorabili vultu, & truci affectu, proximi animum ab se se alienare. Teste Senecâ, *Cum pueris Socrates ludere non erubescebat, & Cato vino laxabat animum, curis publicis fatigatum, & Scipio triumphale illud & militare corpus movit ad numeros.* Minimè ædificas, quem semper terres in humanioribus oculorum minis.

- - - - Tu mitis & acri
Asperitate carens, positoque per omnia fastu,
Obsequiumq; doces, & amorem quæris amando.

Vix hominum Piscatorem præstabit se se, qui trucibus moribus & inclementi fronte Sylla, aut Cato, aut Stoicæ mentis, aut Pharisæus truncatus & impin-

impingens, fuerit: de quo Phariſæorum genere vide ſis *Goodvvini mos. & Aar. l. 1. c. 10. & Otton. Lex Philol. Rabb. pag. 464.* alioſque. Et re noſtra eſſe cenſeo, acutiſſimi *Geulincii* verba, quæ habentur *Sect. 2. oblig. 6. §. 9.* hûc trajicere, & ejuſdem τὰ ῥόδα τῶν ἀνεμώνας roſas noſtro *Papaveri* interſerere *& ſtellam nebulis ſpargere candidam*: *Sed dic ſodes*, ita objicit ſibi ipſi ille, *quilibet jam bonus erit? cùm enim cuticulam curare inſtituit, cùm ſaltabit, cùm ineptiet, Dei (nam Dei eſſe dicebas) præceptum obtenderet. Quis diſciplinæ tuæ ſectator, probos jam & improbos, quos ita promiſcuos habes, & confundis, internoſcet? Reſp. Bona verba Philarete, bona verba! mali cùm ſimulant virtutem, non ſunt boni, ſed eò pejores, quòd ſimulent & fucum faciant. Divinas leges commeſſationibus & libidinibus ſuis, prætexant; quid juvat prætexere! Sub prætextu ſcelus eſt. Sed ita, ais, larvatos internoſcere non poterimus: quid noſtrâ intereſt? num nos ipſi ſic larvati ſimus, facilè intelligimus; id noſtrâ intereſt. Enimverò philarete, ſi totam vivendi rationem, auſteram, rigidam, ſine ulla relaxatione contentam (quod nefas eſt) præſcripſerimus, putaſne male jam melius probos inter ac improbos internoſciturum? Falleris. Felicius hîc ſimulant & diſſimulant, in amœnam illam fabulam mœſtâ facie, caperatâ fronte, fortibus oculis, diſtrictâ NB. in optimum quemque cenſurâ, ad vinum ſaltant olim & hodiè tot perſonati nebulones quin ſecerni, ſi opus eſt, à malis, & internoſci etiam in his animi remiſſionibus & oblectamentis facilè poſſunt. Quamvis enim in his idem ſæpè & mali & boni faciunt, aliter tamen hi, ac illi, faciunt. Boni, tanquam non facturi, niſi juberentur; mali tanquam facturi, etiamſi*

vitarentur. *Boni, tanquam aliud agentes, mali, tanquam id unum agentes. Boni, tanquam advenæ, & aliò properantes, mali, tanquam indiginæ & manſuri. Boni capiunt voluptatem, mali voluptate capiuntur. Putas hæc omnia diſſimulari poſſe, philarete? nihil horum ad oculos, ad os, ad manus, ad totius corporis ambitum manare?* quæ aurea ſanè verba pluries repeti, & perpendi, merentur, oſtenduntque, joca atque varii generis luſus, non tolli omninò ſymbolo noſtro, quin converti ea apud pios in ſumè ſeria, ſi non tàm voluptatis, quàm proximi iis mediis capiendi gratiâ, uſurpentur. Quis enim circa hominum commercium atque vitæ inſtituta, tàm hoſpes eſt, ut non ipſus deprehenderit, improbos facilius veritati ac fidei faſces ſubmittere, & cum piis ac fidelibus converſari non dubitare, ubi innoxia, oblectamenta à Chriſtianis non penitus repudiari cernant. Sunt enim improbi, priuſquam fidem amplexi ſint, infantibus ex aſſe ſimiles, qui nos odio habent, ac fugiunt, ubi crepundiis eorum interceſſerimus; ut idcircò neceſſe ſit, Socratem interdùm æmulari, & pueros oblectandi causâ, ſi quâ ſine majori offenſa fieri poteſt, cum iiſdem equitare in arundine longa.

CAP. XVII.

Altera pars præcedentis ſymboli, ſeu ſextæ circumſtantiæ, ſcil. ἡ ἀκεραιότης *ſinceritas, cum ſimulationibus & diſſimulationibus quibuſdam non pugnat. Stratagemata paris cum ſimulationibus naturæ ſunt. Exemplum medicorum, Theophili Alexandriæ Epiſc.*

Iabesitarum 1. *Sam.* 11: 10. *Athanasii, Davidis coram Achiso Philistæorum Rege*, 1. *Sam.* 21: 10-13. *adducitur.*

TRanseamus ad alteram Sextæ circumstantiæ partem, τὴν ἀκεραιότητα sinceritatem. Prouti verò in præcedenti Cap. docuimus, serio Christiani hominis pectori non adversari semper, si joca, nænias, fabellasque spargas: Sic hoc loco nemo opinetur, fidâ illa atque benignâ virtute, sinceritate, omnem simulationem & dissimulationem piorum elidi. Quid quæso, diximus, columbinam simplicitatem velle? nempè, ut ne quicquam ex philautia, soloque vel honoris vel utilitatis nostræ, at verò divinæ gloriæ intuitu, agamus, mittamusve. Age igitur, non prohibet illa, simplicitas omnem simulationem aut dissimulationem, si scilicet hâc viâ salvatoris gloria, beatitudo proximi, aut vita nestra in tuto collocari potest. Neque quisquam hîc nos contradicere nobis ajat. Licet enim columbina sinceritas seu simplicitas, omnem philautiam, nostrumque connodum, prætereat, soli Jesu Christi amori & honori intenta; id tamen pro philautia, atque propriæ utilitatis quæstu, minimè reputandum, in quo non finio desiderium meum, sed quod tanquam medium ad potiorem finem, vid. gloriam Dei, occupo. Atque adeò, si quà literis, divitiis, prædiis, secundæ famæ, muneri, ac vitæ, vel tuendis vel potiendis, operam insumimus, hunc tantum in finem, ut Dei gloriam longiùs efferamus, sceleri atque fuco ducendum non est. Pari modô, vitio vacabunt, ubi simulando vel dissimulando vitam suam prorogant pii, ut Chri-

Christo, glorificando certitudini de salute animæ acquirendæ, seu vocationi suæ firmæ faciundæ, pœnitentiæ agendæ, proximo ædificando, productos dies impendere possint. In quo casu non vita nostra finis, sed medium tantùm est, ad altiorem finem apprehendendum. Eadem stratagematum, quæ in S. paginis creberrimè occurrunt, qualis & simulationum & dissimulationum reliquarum ratio est. *Ioh.* 8: 4-7. *Iud.* 7: 19. 20. *Iud.* 20: 29-38. 2. *Sam.* 5: 23. 24. Et Ecclesiæ Christi, in his terris militantis, interest, spiritualia stratagemata & artes nectere illis, qui extrà sunt. Hostem in medium prolicere, post colliculos & carecta latere, vim & vires vel fingere vel celare, fugam simulare, ei licet, qui fidei hostes, aliosque improbos, Christo subiicere, & limites veri Israëlis expandere, aut suammet victam extricare tentat. Sed hîc carceres ponendi sunt simulationibus & dissimulationibus, extra quos currere nefas fuerit. Nimirum, hôc mediô uti non debemus, ubivis aut sempet, & circa res nostras privatas, sed tantum, ubi aliâ viâ vel proximi salutem, vel vitam nostram, adipisci desperamus. Non enim secant vel adurunt medici prius, quàm omnis spes recuperandæ aliter sanitatis exoleverit. Et Chymica medicamina, quòd plerumque fortissima esse soleant, in mortis articulô, & caute præbentur. Necalio modo Paulus Judæis Judæus, gentilibus gentilis, omnibus omnia, factus est, ut illos salvaret, quàm & simulando, dissimulandoque medicorum filios imitatus, qui ubi mederi illis oportet, quorum mens phrenesi oblæsa est, similitudinem morum, sermonum, & sic ipsius

sius morbi, fingunt. Quis ergò vitio vertat Theophilo Alexandriæ Episcopo, quòd sequenti modò ex Anthropomorphitarum manibus fuerit eluctatus. Cùm enim ille huic sectæ calculum adiicere nollet, sed pro viribus obviam iret, in manus insidiantium hostium, & de medio tollere cupientium tandem illapsus, mirâ prudentiâ usus est, siquidem eadem verba, quibus in eodem fere casu Jacobus Esavum mitigare studuit, Anthropomorphitis dixit: *Aspexi faciem vestram ac si Dei faciem aspexissem. Gen. 33: 10.* quo pacto mitiores facti hostes, Theophilum, suæ sententiæ de humana Dei forma accessisse putarunt, dimiseruntque: Cùm tamen ista Theophili verba, juxta suam insaniam, interpretati ita hostes sint. Non tenebatur ullâ religione vir iste, vel hostium errorem convellere, vel sua verba adeò dilucidè proponere tunc temporis, ut ex iis loquentis mens primo aspectu pateret. Huc pertinet, quod *Le Grand Ethic. p. II: 60.* scribit: *Si verò illi, apud quos sermonem habemus, ejus sunt indolis, ut ex nuda & simplici rei narratione, magnum in commodum incurrant, bonoque, quod molimur, sint obstacula posituri, nobis mentem nostram tunc temporis dissimulare licebit, & ficto palliatoque sermone uti. Quippe licet aliis prodesse nobis incumbat, adid tamen præstandum non tenemur, si propositio per illud frustremur, & rem intentam obtinere non valeamus. Non tamen illud mendacium appellandum est; quia, licet verba, animi nostri sensa exactè non repræsentent, non tamen de industria alium præ se ferunt sensum, quàm qui revera est; nec ille, ad quem sermonem dirigimus, illum capiendi, vel cognoscendi jus habet. Nec etiam ullâ ratione adstrin-*

adstringimur, efficiendi, ut ille mentem nostram penetret, & quæ meditamur, comprehendat. Id in hominum societate non rarò expedit, ut vera occultentur, & quod potissimum eo temporis fieri debeat, à multorum notitia removeatur.

Non abludit Jabesitarum factum. 1. *Sam.* 11. Pacti erant cum Ammonitarum Rege septem dierum inducias, intra quos, si sibi militum copiæ, auxiliumque, non mitterentur, omnes ad Regem urbe excessuros, dextrumque singulis oculum erui passuros. Post quàm verò Saulus, Israëlitarum Rex per legatos opem pollicitus esset, Jabesitæque verererentur, ne quà Ammonitæ, ubi resciverint, obsessis auxilium latum iri, vel inulti fugam arriperent, vel urbem continuatis assultibus atque vi caperent, prudentiam adhibent, eôdemque die, quo legati promissionem certissimæ atque altero die adfuturæ opis retulerant, Ammonitis ambiguâ sententiâ, dicunt: *Cras exibimus ad vos, tum faciatis nobis, quicquid bonum fuerit in oculis vestris.* v. 10. quam sententiam Ammonitæ juxta votum suum interpretantes, urbisque oppugnationem & fugam differentes, sequenti die à Saulo, & citra dubium erumpentibus Jabesitis, cum quibus prolubitu agere hostibus tùm licebat, ad internecionem cæsi fugatique sunt. Circa quam rem incolæ Iabesi flexili sermone veritatem non negantes, sed tegentes, prudentissimè hostes circumvenêre.

Sic Athanasius, cùm Juliani milites ipsum ad mare, quò fugiebat, insequerentur, viam remensus & plagiariis istis, quorum manus evadere alioquin non poterat, obviam factus, rogatusque, vidisset ne

Athanasium, respondit; Paulò ante hâc præteriisse ipsum. Quò auditò milites iter prosequentes, Athanasium deseruêre. Etiamsi omnem veritatem non exposuerit vir iste, ad quod neutiquam tenebatur, non tamen mendaciis sese contaminavit. Neque quis nobis approbationem mendaciorum affricet, vel consequentiis quibusdam ex dictis nostris extorqueat, nisi & Paulum, apud Judæos Judæum simulantem, ejusdem vitii labe adspergere velit. Omnes autem illi, aliique pii, qui vitæ suæ prodigi non sunt, nituntur illo Salomonis: *Prudens videns malum abscondit sese, stulti autem transeuntes multantur. Prov.* 22: 3. 27: 12.

Ex quibus facile emergit, quid sentiendum sit, de facto Davidis, qui, ut Philistæos, hostili animo in ipsum euntes, frustraret; וישנא את־טעמו בעיניהם ויתהלל בידם ויתן על־דלתות השער ויורד ריריו אל־זקנו *mutavit sibi sensum suum, in oculis eorum, & insaniam præ se tulit in manibus eorum, & signa scripsit super valvis portæ, & descendere fecit salivam suam in barbam suam. 1. Sam.* 21: 13. 14. *Psal.* 34: 1. David certè tempestivè & summâ cum ratione hîc desipuit. *Cato* benè:

Insipiens esto, quùm tempus postulat, aut res,
Stultitiam simulare loco, prudentia summa est.

Nec *Horatius* dissonat l. 4. od. 12.

Misce stultitiam, consiliis brevem
Dulce est desipere in loco.

Ne autem stramine & stipulis gentilium Poëtarum fulcire veritatem videamur, audiamus Christianum Theologum, virum Optimum, & tàm propter eruditionis, quàm pietatis robur, nunquam satis

tis poſt funera laudandum, præceptorem quondam meum, *Franc. Burmannum* in h. l. ubi is „ dialecto Belgicâ ita infit: Welke veinſinge „ davids hier geſchied uit een burgerlikke voor„ ſigtigheit, door vvelke hy, na de vvyze der „ peerel ſchulpen, ſyne koſtelikke perle voor een „ tyd als vveg vverpt, om alſoo de hand des vis„ ſchers te ontgaan. Want tervvyle hy ſyne vvys„ heid als aflegd, ſoo leggen de knegten Achis „ haren nyd ende haat tegen hem af; ende ter„ vvyle hy ſyn gelaat verandert voor hare oogen, „ ſoo veranderen ſy tegen hem hare herten. Soo „ is ook in nood ende ongelegenheid de dvvaſ„ heid meermalen geveinſt van veele vvyſe man„ nen Ulyſes, metoo de ſterre kyker, Solon, Ju„ nius Brutus en andere meer. Deſe ſyne veinſin„ ge nu ſtreed vvel tegen ſyne achtbaarheid, ende „ deftigheid, maar eigentlik vvas ſy niet quaad. „ Want hy en veniſde niet ontrent de eere Gods „ of de belydenis ſyner vvaarheid, gelyk Jehu „ dede 2. Kon. 10: 18. 19. maar alleen ontrent de „ uiterlikke vertooninge van ſyn verſtand ende „ reden, ende dat niet met vvorden, maar alleen „ met het gelaat ende gebeerden. Welk tegen de „ reden of deugd niet ſtryd. Want deſe of gene „ gebeerden te gebruiken, ſtryd niet altyd tegen „ de reden. Gelyk het ſeve op een ſchouvv-ton„ neel dikvvils geſchieden kan ſonder ſonde. Een „ quaade ſaak mag men niet veinſen, gelyk Jehu „ dede, ende ook veeltyds de ſchouvv-ſpeelders, „ maar vvel eene middelmatige, gelyk hier ge„ ſchied. Want ſyne veinſinge vvas niet over een

„ ſaak, die in haar ſelve quaad vvas, maar alleen
„ oover eene, die middelmatig vvas; diergelyke
„ ook by na in Chriſto vvas. Luc. 24: 28. Behal-
„ ven dat het vvat anders is iets te ſeggen met
„ vvoorden, vvat anders te vertoonen met gebeer-
„ den, die altyd niet ſoo vaſt gaan als vvoorden.
„ Ook is het vvat anders eenige gebeerden te
„ maken oover eenig quaad, dat men niet heeft,
„ dan over eenig goed, dat men niet heeft. Het
„ laatſte is altyd quaad, maar het eerſte is niet
„ altyd miſpryſelik. David, die vvys vvas, houd
„ ſig hier als dvvaas, met een groote vvysheid,
„ maar als een dvvaas, een vvyſen na-aapt, ſulks
„ is een vergrootinge der dvvaasheid. Soo houd
„ Salomon ſig, of hy dat kind vvou laten door-
„ ſnyden. 1. Kon. 3: Joſeph houd ſig van buiten
„ vvreed tegen ſyne broeders. Gen. 42: vvelk in
„ haarlieden een voorſigtigheid vvas. Maar dat
„ iemand, die quaad ende vvreed is, ſig houd
„ als goed, ende vriendelik, ende ſagtmoedig,
„ dat is een verfœielik bedrog. Want, de vvyle
„ de goethyd of quaadheid van den menſch ei-
„ gentlik gelegen is in het invvendige en het
„ herte, ſoo kan hy inwendig wel good ſyn, al
„ ſchynd hy van buiten quaad: Maar noit en kan
„ de uitwendige ſchyn Gold ſyn, als de Menſch
„ van binnen quaad is. Daarom is het ſomtyds niet
„ quaat iets ongerymds te veinſen van buiten, als
„ het inwendige goed is; Gelyk hier David doet.
„ Maar noit is het goed eenig goed te veniſen, daar
„ het herte quaad is, als daar na gebeurde met Jo-
ab ontrent Amaſa en de Abner 2. Sam. 3: ende, 20:

Paria

Paria fermè de se refert *Ludovicus Vartomannus l. 2. c. 5. navigat. suarum.* Æqui prætereà Lectoris judicio relinquimus examinanda illa loca. *1. Sam. 16: 1-3. & 2. Reg. 2: 1-6.* ubi dici oportet: *Nunc gestus mihi, voltusq; est capiundus novus. Terent. Phorm.*

CAP. XVIII.

Septima Circumstantia, cui circumspectio intenta est, est τῶ QVANDO? quid illa doceat? Non semper, sed oportuno, & quo tempore proximus commonefaciendus? Gratiani verba. Exemplum Abigailis, item Isabellæ, Hispaniarum Reginæ. Locus Prov. 25: 11. exponitur. Affectuum æstus multùm huic circumstantiæ officit.

ULtima circumstantia notatur *τῷ Quando?* quâ erudimur, oportuno tempori imminere; oblatamque occasionem tenere, nam *cuivis instituto est suum tempus. Eccl. 3: 1-9. & Cor sapientis novit tempus* æque ac modum *& rationem. Eccl. 8: 5. 6.* Symbolum huic loco aptum, est,

Εὐκαίρως! *Tempestive!*

Et certè, prouti fert Germanorum diverbium, non juvat avenam serere, aëre tumultuantibus ventis inquieto. Cuivis negotio & otio peculiare tempus poscitur. Non semper tempus est serendi, metendi, arandi, occandi, inoculandi &c. Artifex interdiu operatur, quùm nocturni labores nullius pretii sint. Faber ferrum format, cùm candens est. Et mercator nundinas observat, statosque pro mercalibus rebus dies. Sæpè illi, quibus infirmior fides est, prudentes pioſque viros, pro insinceris habent

bent, quòd non semper impios pugnis & calcibus adoriantur, nec quodvis peccatum extemplò perstringant, vel sufflaminent. Ad locum 2. *Tim.* 4: 2. superius respondimus. Aurea verba sunt, quæ invenio apud *Gracianum*, in libello, *Arte de prudencia*, per Amelotum de la Houssaie in Gallicam linguam verso, *Max.* 55. La bequille du tems fait plus de besoigne que la massuë de ferd' Hercule. Dieu même, quand il nous punit, ne se sert pas du bâton, mais de la saison. C'est un beau mot de Filippe II. Roy d'Espagne Le tems & moi; nous en valons deux autres. Le Sage Bias, grand Serviteur de cette grand-Maitresse (l'Attente, ou la Retenüe) de soi-même, conseilla, d'imiter Jupiter, qui n'auroit deja plus de foudres, s'il n'eût pas pris patience. Nostrum ergò symbolum, & intenta in hanc circumstantiam circumspectio, jubet, ut videamus, quale tempus sit, quo negotium nostrum capessimus? Num dies, an nox? num festus, an profanus dies? num alteri opportunum, an inopportunum? num proximus à curis & affectibus liber, an illis suffocatus sit? utrum ægrotet, an benè valeat? vino & irâ caleat, an sobriæ mentis compos sit? &c. Hûc referre licet illas circumstantias, quas circa τὸ *ubi* produximus. Et necesse quoque hîc est, nos ipsos contemplari, utrum ad illud charitatis opus ratione, an passione, stimulemur? Quamvis hîc & alibi immensum nobis æquor pateat, quò excurrere noster sermo posset, nolumus tamen Lectorem pluribus onerare, ipsius judicio & meditationi multa relinquentes. Ne autem quis putet, nos absque aliorum authoritate, cui nimium

plerum-

plerumque tribui solet, hic loqui, in medium proferamus Laudatissimi *Rich. Baxteri* verba, quæ leguntur *lib. de Sanctorum Quiete Part.* 3. *cap.* 13 §. 9. „ Ne Tu autem in extremum prolabaris, author Tibi sum, ut hac in re (scil. in increpando admonendoque proximo, de quo in præcedentibus egerat), prudenter & cum ratione agas. Summâ equidem industriâ, serioque pectore, at & modestiâ, atq; prudentiâ præsertim in sequentibus, opus est. (1) opportunum tempus admonitionibus dandum. Noli hominibus negotium facessere, aut eos objurgare, quando vel irâ vel mero æstuant, vel inter sodales agunt; suæ enim existimationi illusum esse putabunt. Captanda ergò occasio, quâ peccatores eruditi juvat. Medicamina purgantia propinare non expedit semper, sed cùm necessitas postulat. Opportuna occasio, mirè rem Tuam promovet. Præclarum nobis exemplum est illud Pauli factum *Gal.* 2: 2. *Exponebat is Evangelium gentibus*, καὶ ἰδίᾳ δὲ τοῖς δοκοῦσι, *privatim verò iis, qui in existimatione erant, ne quà frustra curreret.* Multi forsan tanquam indecentem infinuationem carperent, si quis aliorum superbiæ & intempestivo pudori in tantum cederet, ut ipsis privatim veritatem, quam publicè audire & doceri præ pudore nollent, exponeret. Sed satis superque noverat Paulus, quantos obices hominum existimatio & autoritas amplectendæ veritati ponat, & quòd proindè medicina non tantum, juxta morbum, sed & vires ægroti, miscenda sit. Talis Medicus non culpâ, sed laude dignus est. Non enim vel ægroti vel morbi cura neglec-

„ glexit, sed optimam medendi rationem iniit, gna-
„ rus, cum teneris veritatis discipulis aliter, quàm
„ cum Publicis ejusdem Professoribus, rem esse in-
„ stituendam. Et præterea vim suam leniſſimo mo-
„ do prodent medicamina, ubi temporis ratio ha-
„ bita. Solum, quando molle & mite est, facile sti-
„ vam patitur, & sulco perdomatur. Sic ubi vel af-
„ flictionibus, vel auditâ paulò ante amici morte,
„ vel lugubri, aut aliâ acri & penetranti, oratione,
„ alterius pectus permolitum est, tum non fruſtra-
„ bimur laborem noſtrum. Non id vult Christia-
„ na Sinceritas, ut quomodocunq; bonum præste-
„ mus, sed ut tempestivè, & opportunâ occasione.
„ (2) Et naturam quoq; ac animi propensiones illi-
„ us attendere, & juxta istas agere debes, quem
„ commonefactum aut reprehensum cupis &c.
Scio equidem citatum ad Galatatas cap. 2:2. locum, ab Illustri Anglo *Knatchbullio* paullò aliter, & forsan non ineptè, in suis ad N. T. *animadversionibus* criticis, resolvi; verum nobis hîc sufficit, testimonium Baxteri audisse, nec Paulum habere eo in loco aut alibi adversantem.

Hanc prudentiæ methodum prosecuta Abigajil, præclariſſimarum virtutum jubare fulgentiſſima fœmina & ut quidam loquitur, ταμεῖον ἀρετῆς, maritum suum Nabalem non verbis corripuit, cùm vina, quibus totus madebat, animos illi darent, sanam verò mentem eriperent; *quam ob rem non indicavit ei quicquam parvi aut magni, usque ad lucem matutinam, postquam abiisset crapula*. rediisſetque tantum mentis, quantum istius furfuris Nabal capere potest.

Phy-

Purpureis cui frons moris, & tempora picta.

1. *Sam.* 25: 36. 37.

Aliàs, nisi accedat vini largioris violentia, præstat peccatorem noctu commonitionibus incessere, quàm interdiu, quoniam ipsâ nocte, sumtos læto die animos, ponimus, tristes umbras pavemus. Cæterùm verissimè Poëta ait: *Nox, & amor, vinumque, nihil moderabile suadent*; si scilicet ista sociantur, & commeant. Ita quoque magis convenit, horrido nimbis & fulguribus cœlo, impios aggredi, quàm sereno & placido; quia & exterior ætheris tempestas animum comprimit, cùm irradiantis solis grata vis & sanguinem, & animum laxet. Nemo autem nescit, improbum citius manum dare, & reprehendentis sanguæ modica flagra pati, ubi ipse tristitiâ quâdam, quàm si lætitiâ, sit affectus. Similiter, si noveris, frendere improbum in alium, & involaturum forsan in caput tuum, si lacessas amplius, tùm tempus opperire, quô æstus illius deferbuerit. Alioquin

----- Potius fugientia ripas
Flumina devincas, rapidis aut ignibus obstes.

Ut optimè quidam καιρὸν πανδαμάτορα, seu *tempus omnium rerum domitorem*, dixerit. Quemadmodum enim musto tempus damus, quo despumet, sic irâ laborantibus animis, ut ægritudinis fœces ejiciant, dieſque Paulatim leniat & mora, quod sola ratio non potest. πάντων γὰρ ἐστιν ἰατρὸς χρόνος. *Omnium enim medicus tempus est.* Medici prudentia & in eo cerni potest, quando nonnunquam applicandis remediis abstinet. *Tacitus Annal.* 12. de *Felice* ait:

Felix intempestivis remediis delicta accendebat.

Lepidè

Lepida Historia traditur de quadam Hispaniarum Regina, Isabella, nifallor. Rex, maritus illius aliquando scelus meditabatur. Regina vi intercedere non poterat, nec tàm aperto marte uti, vel in sese mariti fervorem provocare, sed primum impetum declinare, & ad frugem Regem paulatim flectere, propositumque scelus ex animo mariti non intempestivè eradicare, volebat, ita tamen, ut omni modo scelus, antequàm in actum erumperet, anteverteret. Quid fit? cum Rege, in campos expatiata observat, viam ab utroque latere Malvâ obsitam, & conversa ad Regem; quid, inquit, si ipsâ hæc via Tibi, quod meditaris, dissuadeat? Cui Maritus subridens respondit; abstinebo à cœpto, ubi via ista aliud suaserit. Quod responsum illa arripiens, ah, ait, tota via, *Mal-Va* exclamat; quod Hispanis tantum sonat ac nobis, *male vadis*. Sic sanè illa & τῷ ubi & τῷ quando commodissimè inserviit. Deliberandum diu, exequendum citò. Cæsaris *Augusti* vox fuit: *festina lente*! Via longior, & tortuosior, modò bona sit, non fallit. תפוחי זהב במשכיות כסף דבר דבר על - אפניו: *mala aurea in Calycibus*, aut cœlaturis, *argentei sunt sermones dicti ad duas rotas suas*, vel indupliei orbita & circulo suo. *Prov.* 25 11. 15: 23. Quâ phrasi significatur, sermones nostros geminæ lanci & rotæ, seu orbitæ applicandos, nempè & loco seu tempori opportuno, & modo, intra quas coërcendi sint. Nam τὸ ubi & τὸ Quando ferè coincidunt. Vel Hebræi volunt hâc loquendi formulâ, sermones nostros ad circos adaptari debere, & in se prudenter reduci, sic ut audienti eos, plus in

in receſſu meditandum relinquamus, quàm primâ fronte appareat.

Neque tutum eſt, ut in ipſo noſtrorum affectuum fervore, bonum opus obeamus, ne quà malè illud cedat: Cibum enim, cùm vix ex candenti olla exiit, & etiamnum calentiſſimum fumum evomit, convivis non apponimus, at verò ubi refrixerit, & ab comedentium ore ferri poſſit, in patinis offerimus. Qui correpto curſu it, centies prius humum procidit, quàm qui placidè pedes movet. *Hor. l. 3. od. 4.*

Vim temperatam dii quoque provehunt
In majus - -

Eſt, qui pronuntiat verba ſimilia transfodienti gladio, at lingua ſapientum eſt medicina. Prov. 12: 18. Affectus animi nos juvare debent, velut rotæ currum, aut alæ columbam, aut vela navem, aut equus tabellarium, ut eo citius ac facilius ad ſcopum enitamur. Si quando autem non lenis aura, atque zephyrus, ſed furens rapiduſque auſter exoritur, circa portum ſecuritatis obhærere præſtat, quàm in altum evehi, ne alterius navem ſeveriore illiſione perdamus, noſtramve in ſcandali periculique ſcopulos agamus. Quò enim vis paſſionis major, eò minor eſt rationis. Oportet ergò, ne contra hujus juſſa peccemus, illam, velut candens ferrum aquâ, ſic tempore, domare.

CAP. XIX.

Altera pars prudentiæ, providentia eſt. Hæc rurſus duplex munus injungit, PRIMO, ut vitam noſtram in tuto collocemus, SECVNDO ne cuiquam ſcanda-

scandalum præbeamus. Locus Matth. 7: 6. explicatur. David prudenter Ioabi pœnam in serum tempus distulit. Locus 1. Cor. 10: 32. non obstat, quò minus quorundam offensas vix curæ nobis ducere debeamus. Sisinnius Novatianorum Episcopus albas vestes ex Luc. 9: 29. ineptè adstruere conatur.

(2) AD alteram prudentiæ partem descendere jubemur, quæ *Providentia* est, circumspectionis primogenita. Ubi enim ad omnes circumstantias, circumspectione duce, animum adverterimus, facile conijcere licebit, quid ex opere nostro vel à parte nostri vel proximi, consecuturum sit si quâ illud coram his illisve hominibus, hoc illove loco, tempore atque modo &c. occeperimus. *Istud est sapere, non quod ante pedes modò est, videre, sed etiam illa, quæ futura sunt, prospicere. Terent. Adelph.* Vir probus ac prudens debet esse προγνώσης futurorum præscius, quæ prædicere & prævidere poterit ex observatis attentè circumstantiis. Habet sua locus ac tempus &c. signa, ex quibus providentia vel serenos vel opacos dies, quietum vel turbidum æthera, prænuntiat; similis prophetæ Eliæ, qui ex unius nubeculæ prodeuntis ortu, ingentem procellam præsagiit. *1. Reg. 18:*

Hæc providentia duo nobis imperat. *Primò*, ut perpendamus, numnam nobis, hoc illudve agentibus, vel omittentibus periculum accersatur? *Secundò*, numnam proximus nostrâ illâ vel actione vel omissione offendi & scandalizari possit? Non enim tantũ opera danda τῇ καθαιρέσει τε ἐχυρώματ@ expug-

expugnationi & everſioni munimenti alieni, ſed & defenſioni ſui. Ad primum providentiæ officium pertinet, quod legimus *Matth.* 7: 6. Ne *date ſanctum canibus, nec proiicite margaritas veſtras coram porcis, ne quando conculcent eas pedibus ſuis, & converſi diſcerpant vos.* h. e. Ubi noveritis, cum immiti hominum genere, & ſpumantibus apris rem vobis fore, periculumque à veſtra, nullum autem fructum ab altera parte futurum, nolite tum eos veſtrâ vel inſtitutione vel commonitione, proritare, ne videamini rabie & furore actis canibus ac ſubus panem ac uniones, veſtro cum damno atque periculo, obiicere velle. Poſt quàm Joabus, Abnerum, Amaſam, & Abſalomum perfidè, & contra voluntatem ac mandatum Regis, transfixiſſet, David tamen iſtum nefarium ex civili providentia, ad dignam pœnam haud abripi juſſit, quoniam prævidebat, filios Tzerujæ, *qui præpotentiores erant.* 2. *Sam.* 3: 39. facile inteſtina bella ciere
„ poteſſe. Omnes Juriſperiti aſſerunt, non teneri
„ Judicem, ut pœnam reo irroget, ſi eâ ratione Res
„ publica in periculum ac damnum adduci queat.
„ Quemadmodum Patronus navis, & jure potè, &
„ debet, parcere gubernaculi Rectori, cædis reo;
„ ſi quando iſtius morte, & navem & navigantes
„ periculo expoſitum iri, metuit. Quinimò ubi
„ ſemper opus habet Rectoris iſtius operâ ac con-
„ ſilio, nunquam eum plectere debebit. Jus enim
„ gladii ac pœnæ eſt propter hominem, non verò
„ homo propter pœnam. Sic, ubi pœnam rei ſe-
„ qui poſſet pernicies illius, cui jus gladii eſt, tùm
„ non tantùm non tenetur, ſed ne quidem jure

„ poteſt, punire improbum, niſi vitæ propriæ „ damnum, quod ſequeretur, accelerare ſibi velit. „ Aliud enim eſt parcere reo, aliud plectere innocentem. Hoc nunquam licet, illud interdum, & „ quibuſdam in caſibus. Sic loquitur Theologus quidam πολὺ φέρεται, νῦν ἐν ἀγίοις. Hanc civilem providentiam & Eccleſiaſtica ſuo modo æmulatur. Adeoque non tantum non neceſſarium, ſed & imprudentiſſimum fuerit, rabioſi hominis bilem, animos ac vires, adverſus Te vel ore vel opere intempeſtivè provocare. Uti ſerpentes, pulvere ſe occultant, ne à viatoribus videantur, plectanturque, ſic *cavere ab* iſtius modi *hominibus* debemus. *Matth.* 10: 17. Niſi conſcientia, S. literæ, & prudentiæ mater, Ratio, aliis cum circumſtantiis aliud juſſerint.

Alterum providentiæ officium eſt, ut ſimus ἀπρόσκοποι, *nullumque ſcandalum demus vel Iudæis, vel Græcis, vel Eccleſiæ Dei.* 1. *Cor.* 10: 32. intempeſtivo Chriſtianæ libertatis, vel rerum adiaphorarum, quin etiam bonarum, ſeu virtutum, exercitio. Juxta autem vulgarem diſtinctionem, duplex eſt ſcandalum; *datum* & *acceptum.* Illud infirmorum eſt, hoc pervicacium. Horum *ſervus* nunquam factus eſt Paulus 1. *Cor.* 6: 12. 7. 23. *neque ad momentum ipſis ſubjectione quâdam ceſſit* Gal. 2: 4. 5. 5. 1. *Col.* 2: 20-22. quæ nos docent. Paulum conceſſiſſe, & cedere nos juſſiſſe, illis, qui facile offenduntur Chriſtianæ libertatis uſu, huic Principio innixi: *Circa omne illud, quod clarè ac diſtinctè non legitur, neque ſcitur, à Deo permiſſum eſſe, proclive eſt peccare, atque neceſſe, cavere.*

Apud

Apud reliquos autem, qui edocti erant Christiano homini *omnia licere* 1. Cor. 10:23. Paulus libertatem, quam nobis comparavit Christus ad summum usque fastigium evexit & usurpavit, v. 33. Ponè quæ tamen aliud sibi Apostolus Principium fixit, cui obsecundavit, nempe: *Pervicacibus & qui novas leges excogitant, quas Deus non sancivit, & quibus Christianæ libertas non parùm multatur, ne admomentum, cedendum est.* l. c. Hujus farinæ homines sunt omnes Judæi hodierni & plurimi Pontificii, (quibus longo fluxu temporis veritas ad oculum demonstrata. Sed oleum & opera perdita est) nec non pauci alii immodicâ pietate & eruditione conspicui viri. &c. Primi generis scandalo, seu dato, Christianus prudens, viam & occasionem præcidere debet, ne vel infirmus vel infidelis, opere quodam, quamvis in se non illicito, & suis circumstantiis bono, offendatur. At verò secundi generis scandalum, quod acceptum nuncupamus, non expedit semper evitare, ne quà tenaciſſimos suæ opinionis & supercilii Pharisæos obfirmemus magis. E. G. Non propter Pontificios, diebus Dominicis, dictis Lætare, Judica Palmarum &c. carnis, nec propter Judæos, suillæ, esu abstinebo, nec etiam propter hos, accensis lignis parare cibos verebor iisdem diebus. Veruntamen propter alios infirmos ligna findere, & carnem à lanione emere, eo tempore, nolo. Absit etiam, ut laudiendi Iudæis vel pontificiis gratiâ, cùm sim V. D. minister instar sacerdotis Aaronici, byssomeamiciam, vel instar monachi, singulari habitu

& terrifico cucullo me ab reliquis hominibus secernam: At simul coloratâ veste propter infirmos non utar, tametsi eam mihi non minus, quàm alii, S. Scriptura indulgeat. Indecenter ergò *Sisinnius* Novatianorum Episcopus, candidis vestibus cinctus, Arsacium Episc. Constantinop. invisit, &, cùm Arsacii amicus quidam, habitum miratus, rogasset, ubi legisset verbi præconem candidas vestes indui oportere? locum *Luc.* 9: 29. produxit.

Cap. XX.

Tertia & Quarta Prudentiæ pars, nimirum, DISCRETIO & CAVTIO. *Illa non tantùm bonum à malo, sed optimum à bono seligit. Inter permissionem & commissionem maxima differentia. Paulus per biennium cultum Dianæ Ephesi non impugnat. Act.* 19: 10. *Quâ arte & fraude Diabolus Christum aggressus sit? Matth.* 4: 5-7. *Cautio impedimenta & obices amovet.*

(3) Tertia pars Prudentiæ est subtilissima & aciei sagacissimæ, vid. *Discretio.* Hæc duo à se invicem discernit, quæ primâ fronte, paris vel bonitatis vel pravitatis esse videntur, re ipsâ tamen differunt, adeò ut alterutrum vel verè & in se malum, vel non tàm bonum, quàm alterum sit, atque sic, respectu melioris, aut optimi, in malum abeat. E. G. *Primò,* nihil vulgatius est, quàm permissionem & commissionem ab indoctis promiscuas haberi, nec benè discerni. Ubi enim pii prudentesq; viri, subinde in re mala alterius connivent, statim eo æstimantur loco, ac si ipsi patrassent. Verùm enim

enim verò sæpissimè permissio, etiam commissio est, dicig; potest; si nempe illa philautiâ ducatur, propriamq; in utilitatem intendat. Quandoquidem, si citra majus malum intercedere possim, quô proximus à malis precationibus & execrationibus desistat, ipsi tamen permittam, consors ero illius sceleris, non minùs, ac si ipsus illud flagitii commississem, & blasphemias aut imprecationes eructassem. Ubi autem meâ ex intercessione & inhibitione ingentius malum soboleſcere queat, non pro commissione reputari debet, si viam malo non intercludo, sed in opportunius tempus permitto. Proferamus *Elconis*, Theologi Angli, verba in *Col.* 3. pag. 637. *oh remember, thou hast taken on thee the profession of the Gospell, & vvouldest beare the name of a true Christian: thou must vvalke vvysely, even tovvards them, that are vvithout. In thy vvhole carriage, in thy vvords, & deedes, thou must have regard to the right end, Gods glorie, & the good of others. Et thou must take heed, to give no just cause of exception or offence, by any thing thou saist, or doest, no not to the vvicked and unbeleeving. Yea thou must bee so vvise in thy carriage, & thy behaviour, among them, as that sometimes thou must forbeare the doing of some lavvfull thing, so farre, as may stand vvith the keeping of faith, & a good conscience: if so bee, thou in thy Christian vvisedome & discretion perceive, that the doing of it, vvill hinder soome gread good, that may othervvise be done. VVe have example of this in Paul Act.* 19: 10. *Hee vvas full tvvo yeeres in Ephesus, an idololatrous citie, & savv their idololatrous vvorsh ip of Diana; yet all that vvhile he kept silence, & spake not a vvord in particular*

aganiſt Diana (as he might have done) onely in generall termes hee ſaid, as it is in the ſpeech of Demetrius v. 26. That they vvere no gods, vvich vvere made vvith hands. And this did Paul forbeare to doe, that hee might doe ſome good in that citie by preaching of the Goſpell, vvich could not have been ſuffered, if hee had ſpeken aganiſt Diana in particular. Memento, Te profiteri Evangelium, & geſtare nomen Chriſtiani. Opus ergò, ut prudenter ambules, præſertim verſus eos qui extra ſunt. Totâ vitæ ratione, dictis ac factis, optimum finem, ſcil. Dei gloriam, ſalutemq; proximi, venaberis. Et cavebis, ne quâ ore vel re impiis & infidelibus offendiculum ponas. Quin tàm providè ages, ut interdum bonum quid omittas (quantum ſalvâ fide & conſcientiâ fieri poteſt) ſi ex Chriſtiana prudentia ac diſcretione obſerves, commiſſionem iſtius, majori bono, cui opera navanda, eſſe interceſſuram. Suggerit nobis exemplum Paulus Act. 19: 10. Is per integrum biennium Epheſiorum in urbe idololatrica egerat, conſpicatusque idololatricum Dianæ cultum, ſiluit tamen toto hoc temporis tractu, ne verbulum in ſpecie in Dianam, ejusq; cultum, faciens, (quod tamen licuiſſet) ſed generalibus tantum terminis Dianam adoritur, ſecundum Demetrii verba verſ. 26. *Non ſunt Dii, qui manibus facti ſunt*, Atque iſtud omiſit Paulus eam ob rem, ut interea ſuis prædicationibus multum boni, per urbem, ſerere poſſet, quod Epheſi non tuliſſent ſi in ſpecie Dianam fuiſſet adortus. Circa quæ verba hoc unum notandum, illud, quod Autori omiſſio dicitur, plenam permiſſionem eſſe. Dum enim Paulus Dianæ cultûs convulſionem omittit, eundem per aliquot tempus Epheſiis permittit & indulget. Quis autem dixe-

rit,

rit, Paulum, permittendo Dianæ cultum, tantundem feciſſe, ac ſi ipſe probaſſet, commiſiſſetque? *Deinde*, medium quoddam ſæpiuſculè duplici fini inſervit, quorum alter bonus alter malus eſt. Quod ſi verò iſtud medium citius ad malum, quàm bonũ finem ducat, uſurpandum minimè erit, niſi Deum tentare velimus. E. G. Damaſcenis Paulo inſidiantibus, & in eam rem *portas urbis dies noctesq;, cuſtodientibus*, nulla alia evadendi via ac medium Apoſtolo patuit, quàm per tranſitum mœniorum. Iſta autem tranſilire, non fuit conſultum; cùm hoc medium, equidem fugæ & evaſioni, citius autem corporis læſioni aut morti, inſerviiſſet; propterea *fune in ſporta demiſerunt ipſum. Act. 9: 23-25.* Simili modo, cùm Satanas Chriſto author exiſteret, ut *ſe ſe de* plano *templi* tecto, ſeu *pinnis*, in atrium *dejiceret*, ubi ſine dubio tùm temporis non exigua ſacerdotum populisque Judaici pars, victimarum & precum offerendarum causâ confluxerat; id ad duos fines duxit, alterum bonum, quem Satanas, angelum Lucis fingens, Chriſto proponit, atq; commendare videri cupit, alterum malum, quem extenuare & diluere, imò ex vafrè adducto Divino verbo *Pſal. 91: 11.* comptum reddere tentat. Bonus finis, ad quem dejectio illa ducere poterat, erat, ut, ſi quà in atrio conſtitutus præfractæ mentis populus, ſignaque de cœlo toties expetens, videret, Chriſtum, nullis hactenus miraculis clarum, inſtar mannæ, ipſius adventum præfigurantis, de cœlo deſcendere, atq; de tanta altitudine ſe ſe demittere, idq; ſine ullo corporis vulnere aut damno, quale, vi promiſſionis in Pſalmo 91. factæ, contingere

nullo modo posset; Ut, inquam, ita Christus, Ἀρχομένῳ ἔργῳ πρόσωπον τιλαυγὲς *cœpti operis splendidam frontem*, præmitteret, atque mediatorium munus auspicatissimè inauguraret, & sic pertinacissimo Populo fidem persuaderet. Malus verò finis, quò dejectio illa ferebat erat; mors violenta, aut corporis oblæsio, nec non ignominia & populi lusus. Hunc finem Satanas cupiebat, prævidens, dejectionem illam ex alto, citius ad hunc, quàm illum, ducere. Postquam verò non ignoraret, Sagacissimam filii Dei mentem utrumque finem non fugiturum, hunc, sive malum, tanquam planè impossibilem diluere allaborat ex *Psal.* 91: 11. ac si Christus lapsu graviore interimi non posset, quùm Deus *angelos suos ceu ventos* submissurus, quorum ope & ministerio Christus velut curru vehendus, & sine ulla *pedum ad lapides* templi *illisione*, in atrii pavimentum placidè defluxurus esset. Sed --- *fugite hinc latet anguis in Herba.* Et sic æterna Patris sapientia, quam obliquus ille serpens fallere non potis erat, satis noverat paleam à frumento discernere, quamvis illa ad hujus similitudinem proximè accedere videatur, & quòd istud medium, à Satana tanquam Lucis angelo, propositum, multò prius malo, & suæ perniciei, quàm bono fini, & aliorum saluti, sit obstetricaturum, quòdque adeò illud medium arripere, licet bono auspicatæ initiationis, intuitu tantundem sit, ac *Deum* experiri & *tentare*, *Matth.* 4: 5-7.

Tertiò, si quando medium quoddam prius ferat ad bonum quàm malum finem, tùm idem in aliis sugillare minimè, quin ut ipsi adhibeamus, licebit

licebit. Sin verò *quartò*, medium aliquod æque ad malum ac bonum finem, pari facilitate, tenderet, quid tùm factu opus erit? E. G. Legitimus Christianæ Libertatis usus, quô hæc vel illa, hoc vel illo tempore, edo, bibo, induo, ludo &c. ad duos facit fines. (1) Ut non paucos, qui vel pertinaciâ & induratis præjudiciis, vel fatuâ pietate, seu potius superstitione, laborant, offendam (2) ut plurimis, quorum animos fœda scelerum aut infidelitatis pestis depascitur, medear & fidem persuadeam, ac non iisdem tantùm, sed & aliis piis hominibus, qui prudentiæ callem premunt, placeam, ac me comprobem. Prius non est bonum, posterius, non est malum. Prius itaque est malum, posterius bonum. Resp. Carptim respondeamus! I. damnum & scandalum, quod nascitur ex Christianæ libertatis neglectu, multô majus est illo, quod ex Legitimo & modico illius usu. Iste enim neglectus improbos à vero Christianismo, tanquàm difficili Jugo, abigit, cùm liberior usus eos, quorum pietas infirmâ fide labefactatur, non à virtute avertat, sed tantùm tristitiâ afficiat. II. quantum ad contumaces Doxastas, qui suâ præfractâ cervice, & iniquis δόγμασι ac placitis, in Christianam libertatem arietant, illis *ne ad momentum cedendum* est. *Gal.* 2: 4. 5. III. Tandemque imbecilliores & imperitiores (quibus tamen in istâ verbi divini abundantiâ atque largissimâ vindemiâ, maturior fides, & circa Christianam libertatem amplior notitia, esse deberet) brevi addiscent, nos, qui in cæteris splendidissimos fidei, Charitatis, atque Zeli, radios fundimus, non ex

animi vel levitate vel impietate, sed alio, & forsan non malo, intuitu, libertati isti vacare, atque ita carpendos haud esse.

Quintò, si res quædam duos post se fines, eosque bonos, traheret, qui tamen non unà & simul sequerentur atque alter altero melior existeret, tùm & propior & probior eligendus erit. E. G. Pauperrimi Iri anima æque pretiosa est ac Præstantissimi Imperatoris, expeditque, utramque ad fidem convertere. Ubi autem id simul fieri nequeat, malim Constantinum Magnum lucrifacere, eique Evangelii mella propinare, quoniam hujus conversio spem Ingentium frugum parturit. Si enim cum Davido decem millia collabuntur, cum eodem totidem surgunt. Tantum enim, hâc in parte, vulgaris Israëlita Davidi cedit,

Lenta Salix quantum pallenti cedit olivæ,
Pumiceis humilis quantum Saliunca rosetis.

Atque hæc est illa δοκιμασία τῶν διαφερόντων, *exploratio illorum, quæ præstant. Rom.* 2: 18. *Phil.* 1: 10. sive διάκρισις καλοῦ τε καὶ κακοῦ. *Discretio boni & mali Hebr.* 5: 14.

(4) Tandem ad ultimam seu quartam Prudentiæ partem, nempe *Cautionem*, nunc ventum est. Hæc cavet, *ut impedimenta amoveantur, quæ contingere possunt & obstare, ne finis præstitutus obtineatur. Le Grand.* p. 1040. Quænam autem ista impedimenta & obstacula in genere sint, postea videbimus.

Cap. XXI.

Circa quas res prudentia Ecclesiastica usus versari debeat? Quomodo circa res sacras? inspecie, circa priva-

privatam admonitionem? Hæc omni lenitate & modestiâ temperanda. Doctissimus Iunius parentem suum hac de causa laudat. Non omnes & singuli admoneri merentur.

II. HIc dispiciendum, circa quas res prudentia Ecclesiasticæ usus versari debeat? Resp. circa res (1) sacras, (2) politicas, & (3) adiaphoras.

(1) Circa res sacras, & in specie, circa (A) privatam admonitionem ac (B) consolationem (C) publicamque verbi Prædicationem.

(A) Quantum ad privatam admonitionem; eam omni lenitate & modestiâ, mitibusque verbis ac moribus temperari oportet. - - *Inhumanæ senium depone Camœnæ.* Hæc medica potio melle miscenda, ne ægrum malè habeat. Et ejusmodi amara pilula, qualem nullius ferè lingua ferre potest, dulci saccharo mitiganda, ne evomatur. Præterea etiam & delicti ratio habenda, attendendumque, utrum grave, an minusculum sit; neq; enim utrumq; pari modo flagellandum. Præsertim autem semper cavebimus, ne fervidioris iræ dementia hoc nostrum charitatis opus adulteret, magisq; odio quàm amore ad id impulsi videamur. Non me fugit, quòd sæpissimè nimius præcordiorum effervescentia, Divini Zeli titulo superbiat, nec non occultus animi tumor eos incessat, quibus solenne est, alios acerrimis verborum mucis adspergere, & vitia non tàm perstringere, quàm rodere, aut vulnera non tam lenitatis oleo eluere, quàm igne inclementioris affectûs exurere. Is verò tumor, intercluso subterraneo vapori simi-

lis,

lis, levi de causâ, sed tanto cum impetu erumpit, ut omnia propinqua sternat. Et qui hôc laborant, plerumq; eò abripiuntur, ut se se aliis multò sanctiores, prudentiores, doctiores, zelosioresque, existiment, insanumq; fervorem pro divina flam̃a, animi tumescentis ferociam pro impulsu Spiritus S. suosq; sermones pro oraculis fallere nesciis, & denique illos, qui ab ipsorum opinione circa minutissima recedunt, pro irregenitis non absq; ingenti protervia, ducant. Potius unumquemque *velocem ad audiendum, tardum ad loquendum*, adeoq; docilem, *non verò doctorem esse docet. Iacob.* 1: 19. 3: 1. Et licet apti satis simus ad id officii genus, obeundum tamen idem erit summa cum mansuetudine, & citra ullam morum ferocitatem. Præstat enim peccatricibus animabus amorem Jesu Christi, ope suavissimorum & stringentium argumentorum, velut canali, instillare, quàm ipsis vitiorum fugam atque metum, horrendâ Gehennæ & Diaboli descriptione, aut sermonis asperitate, incutere; quoniam hoc modo auditores sæpius ad hypocrisin, & occultum adversus Numen, æq; ac nos, atq; verbum Divinũ, odium adiguntur. Mitissimus humani generis Salvator, quàm molliter etiam insignes peccatores tetigit? Vix pauculis in locis ipsum legimus alios, eosq; hypocritas larvatos, duriori linguæ verbere percussisse. Multus circa ejusmodi lenitatem docendam *Musculus* est in *Matth.* 7. ubi inter alia ait: *Est enim generosus hominis animus, magiq; dusitur, quàm ex quo in promptu est cognoscere, quâ sint alii mansuetudine tractandi, siquidem salutem eorum ex animo quæramus.* Doctissimus *Iunius*, vitæ suæ curricu-

riculum enarrans, refert, Patrem suum, postquam vidisset, filium Atheismi peste afflatum, ipsis rigidioribus verbis non insultasse, sed mitissimis & exquisitissimis verbis ac rationibus, insanam illam opinionem eximere studuisse; *Sciebat enim*, sic ait Junius, *Vir sapientissimus, non intrudi pietatem, sed instillari mentibus, non impingi, sed infundi, non imperari, sed doceri, non cogi, sed suaderi velle.* His adnectemus verba Pientissimi Anglì *Baxteri*, quæ leguntur *Libro Ætern. Quiet. part.* 3. *c.* 13. Etiam mo„ res & animi propensiones illius, quem admoni„ tum cupis, advertendi sunt. Non quicunq; cibi „ quoscunq; stomachos juvant. Alter evomet, „ quod alter digerit. (1) Si quis doctus, emunctæ „ naris, & modestus est, plùs amat argumentis „ quàm fervidioribus verbis convinci. (2) Si quis „ idiota, utrisque stringendus erit. (3) Si quis con„ victus, at nondum conversus est, ejusmodi me„ dia adhibenda, quibus affectus cientur. (4) Si „ quis contumax, & securus, insigniter plectenn„ dus erit. (5) Si quis ejusmodi naturæ ut faci„ le frangi & vinci se patiatur, molli, leniq; modo „ utéris. Non omnes æquo animo duriora flagra „ ferunt. Jucunda comitas, cui par gravitas adjun„ gitur, omnium affectum trahit, quem sermonis „ asperitas in plerisque avertit: Hæc, quemadmo„ dum nec fortiores medicinæ, ut Helleborus & „ Colocynthis, non cuivis hominum generi pro„ dest, nec puero, nec seni, nec imbecillo, sed tan„ tum robusto &c. Et paulò post: *Nihil* apertum „ magis est, quàm quòd, qui summâ pietate ni„ tent, aut nitere videntur, istiusmodi increpatio-

„ nis impatientes sint, quam nulla lenitas condiat,
„ Ubi illa vel bilem vel opprobrium sapit, in os
„ Tibi revoment. Atque adeò, nisi dulcissimorum
„ verborum involucris tuam correptionem tegas,
„ ut ferè adulationi, quàm sinceritati, laudi, quàm
„ objurgationi similior appareat, non benè conco-
„ quent, prius in Te tacitâ irâ arsuri, quàm gratâ
„ mente auscultaturi. Nisi Tua reprehensio ci-
„ bum potius, quàm medicinam oleat, ad inte-
„ riora non transibit. &c. Et quæ nunc spes est,
„ imperitiores & Carnales peccatores immitiorem
„ increpationem æquiori animo perlaturos, cùm
„ illam non tolerent, qui pii audiunt? vel illos
„ acriorem reprehensionem, tanquam dulce mul-
„ sum, sorbillaturos, cùm Christiani eandem,
„ tanquam medicam potionem, vix admittant.
Omnes fere Japoniis similes sumus, de quibus memoriæ proditum est, *quòd ne pauperrimi dictum paulo asperius ferant; Ipsique rerum vilissimarum artifices, quique se in diem locant, comiter appellandi sint, si eorum uti velis industriâ. Pontan. S. I.*

Neq; vitio vertendum Prudenti Christiano, sicubi non unumquemvis reprehensione suâ castigat, aut non semper peccatorum torrenti obviam fertur. Nam prout audivimus, magnum inter committere & permittere discrimen intercedit. Suum peccatoribus & peccatis calculum adjicere, peccatum est, at non, ipsos interdum neque verbis neq; factis, coërcere. Non est opus, semper ἀντῆναι τῷ πονηρῷ *Matth.* 5:39. ne malum ex nostra resistentia vires sumat, crabronesque irritemus. *Matth.* 7:6. *Prudens prævidet malum & abscondit se se, sed stulti* tran-

transeunt & multantur. Prov. 22:3. Scio, multos ejus esse sententiæ, uti putent; unumquemq, improbum omni tempore carpendum, etiamsi odium, iram, ignominiam ac damnum, uno verbo, nihil bonæ frugis, abinde simus relaturi. Verum hos remittimus tùm ad loca modò jam citata, tùm ad ea, quæ occurrunt *Prov. 9: 8. 23: 9. Ne corripito derisorem, ne odio Te prosequatur; sed corripe sapientem & amabit Te. Ante aures stulti ne loquaris, nam spernit te cum Prudentia dictorum tuorum.* Ad quæ verba sic Celeb. *Coccejus* commentatur: *Quandoquidem apud fatuos aliquando retinentur, quæ cupiunt bene vivere, quòd putent sibi necessarium esse, eos convertere, redarguere, erudire: Ideo sapientia monet, id non tantùm frustrà, sed & noxium esse, eamque operam melius alibi occupari. Quemadmodum* v. 6. *postulat, ut fatuorum via relinquatur; ita hîc postulat, ut, qui sapientiam amant, desinant ab irrisoribus assumendis, ad illorum redargutionem; sive, si id putemus non injungi, saltem veniam facit, & indulget, ne quis putet hoc esse necessarium;* Nempè, *quando apparet, fatuos ad irrisionem proficere, & bonis monitis ac rationibus non commoveri, sed respondere, cavillari, calumniari; de qualibus etiam Apostolus dicit, colloquium cum illis excusandum esse, Tit. 3: 10. & servator Matth. 7: 6. Sanctum canibus non esse obiiciendum. Ratio omittendi irrisores* ἐμπαίκται 2. *Pet. 3: 3. est, quia effectus alius non est, quam lucrari ignominiam & odium. Non aliud illi possunt, quàm blasphemare, quod ignorant, & odisse corripientes, tanquam injurios, quippe qui vitium ipsorum demonstrent ipsis. Unde consequitur, ut nec audire velint, &, si possint, redarguentem de medio tollere,*

& omni

& omni ignominiâ afficere, ſatagant. Non eſt autem neceſſe, malos homines irritare contra ſe, aut eos ita exacerbare, ut putent, ſe aliquam cauſam habere, etiam verba piorum nullo modo audiendi &c.

Planum hinc eſt, nos non obligari ad id, ut irriſorem, ferocem, & perditiſſimum nebulonem, hominemque trium Kappa quique eſt -- *Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper*, æque corripiamus, ac modeſtum & frugi, multæque ſpei, hominem. Verùm, cùm hæc veritas multis forſan horridior videatur, operæ pretium ducimus, ſæpius laudati Angli *Elton's* verba hûc traiicere, quæ is habet *Comment. in Ep. Col. p. 652. There ought to bee in Chriſtians an holy diſcretion, & they muſt not onely knovv vvhat to ſpeak, but alſo hovv to ſpeak fitly: they muſt not onely be able to enforme the ignorant, to rebuke the unruly, to ſtrengthen the vveake, to comfort & encourage the feeble, & feare full, & ſuchlike, but they muſt doe theſe things ſo, as they may doe moſt Good. To thatend, they muſt have regard of all due circumſtances, of times, perſons, & places. Prov 29: 11. A foole, ſaith Salomon, poureth out all his minde, but a vviſe Man keepeth it in, till aftervvard. A vviſe Man obſerveth due circumſtances of time, place, & perſons Prov. 15: 23. Hovv good is vvord in due ſeaſon? Some privat Chriſtians bee ing able to give good Counſell, or to admonish & reprove others, yet many times faile in fitting their ſpeech to circumſtances, they tell a man of his fault beeing drunk, or in the heat of his paſſion, or they admonish & reprove ſuch as are not fit to bee admoniſhed or reproved. They bee of tvvo ſorts; firſt naturall fooles Prov. 26: 4 5. -- Secondly ſuch, as bee obſtinate ſcorners Prov. 9: 8. Matth. 7: 6. &c.*

„ Decet

„ Decet Christianos sancta discretio, & ut norint,
„ non tantum, quid, sed & quàm opportunè, loqui
„ oporteat. Non sufficit, idoneum esse ad erudi-
„ endos ignaros, carpendos sceleſtos, consolandos
„ erigendosque imbecilles, & meticulosos &c.
„ Sed juvat id feciſſe modo optimo. Eapropter
„ contemplandæ omnes debitæ circumſtantiæ,
„ moderandiq; sermones juxtà tempus, personam
„ & locum. *Prov.* 29: 11. *Totum spiritum suum pro-*
„ *fert stolidus, at sapiens retrò reprimit eum.* Vir pru-
„ dens auscultat circumſtantiis temporis, personæ
„ & loci. *Prov.* 15: 23. *Verbum tempore suo dictum, ô*
„ *quam bonum est.* Privati quidam Christiani, quì
„ alioquin non inidonei sunt ad danda consilia,
„ alioſque redarguendos, sæpè tamen in hoc pec-
„ cant, quòd sermones suos circumſtantiis non
„ commetiantur. Hinc carpunt virum temulentiâ,
„ aut irâ, amentem; aut reprehendunt tales, quì
„ non sunt apti capiendæ admittendæq; monitioni
„ & redargutioni. Quales sunt primò, mente captì
„ *Pro.* 26: 4. 5. & deinde contumaces præfractiq;
„ irriſores. *Prov.* 9: 8. *Matth.* 7: 6. &c.

Non imus inficias, nos vel tàm superbos, vel ti-
midos, anguſtiq; pectoris, vel tàm tardos ad bonum
esse, ut sæpiſſimè hoc officii genus ne iis quidem ex-
hibeamus, quibus debemus, quiq; & suâ morum
facilitate, & amicitiâ, quâ nos tangunt, admoni-
tionem noſtram invitare videntur.

Τίς δ' οἶδ' ἔικέν οἱ σὺν Δείμονι θυμὸν ὀρίναις
Παρειπών. ἀγαθὴ δὲ παραίφασις ὅτιν ἑταίρῳ.

Quis autem scit, num cui ope Dei, animum commo-
veris

Admonens? Bona enim est admonitio amici.

Homer. Iliad. A.

Neque hîc prætereundum, frequenter Theologos Anglos citari nobis, non alia de causa, quàm ut illorum authoritate veritatis convincamus eos, quibus ea, quæ dicimus, aliena forsan videri possent, nisi austeriores illi Theologi, quiq; pietatem arctioribus sæpè regulis compingunt, nostræ sententiæ adstipularentur.

Cap. XXII.

Prudentiæ hujus usus versatur quoque circa consolationem & publicè concionandi rationem. Non oportet quemcunq; solamine perfundi. Russorum consuetudo, defunctis literas commendatitias apponendi. Homilius Evangelicis, quas alii compilarunt, non tam sedulò incubandum. Quare illæ Postillæ appellentur? Non à scopo textûs, & extrà oleas evagandum. Neq; merè præclicis & Ethicis auditorum animus semper imbuendus. Concionatorem legalem vel legis esse, (Gesetz-Prädiger) vix Evangelio & N. T. temporibus convenit.

(B) Non minori ad consolationem, quàm admonitionē, Prudentiâ opus est. Certo sum, improbos sæpè incautâ quorundā consolatione, in nequitiis suis roborari. Non quivis hâc ambrosiâ & nectare potandus. *Pauperibus, quiq;* anima fideli & contritâ *Iustitiam* Jesu Christi anhelant, ac *sitiunt*, hocce *Evangelium nuntiari* oportet: *Matth. 5.* Illis, quorum animus Dei gratiam, quemadmodum cervus frigidam, captat, hunc fontem, equo & peccata eorum & tristitia gluitur, ostendere debemus.

Neque

Neque alios expedit satiare hoc melle, quod ex Petra Christo destillat, quàm qui os suum aperiunt. Psal. 81. Sanè obduratis peccatoribus solatia propinare, periculo non caret. At, ais, omnes propè in agone constituti, aut ad sacras in Cœna dapes confluentes, spiritualem & salvificam sitim atque famam præ se ferunt, quomodo ergò hypocritas à vere fidelibus internosse licet? R. Ubi quis sitim suam in Jesu Christi Justitiam, sive veram fidem, ac transactorum pœnitentiam, verbis prodat, conditionatè, & quidem hoc modo, ei loquendum erit: *Si verâ pœnitentiâ resipias, si Christum quibuscunq; rebus caducis anteponas, si nec me, nec Te, verbus & pietatis simulacro, fallas &c. tum tè istis verbis affari licebit: Confide mi fili, remissa Tibi sunt peccata tua. Matth. 9. 2. &c.*

Quantum verò attinet Insignes & apertos peccatores, hominumq; fimeta, tantum abest, ut illos ullo modo solatio perfundi, ut potius comissorum piaculorum redargutione comoveri, præstet. Nullus dubito, quin multi, quibus simpliciter dictum fuit: *quoniam Te tuorum peccatorum pœnitet, remissa illa Tibi* esse, lætare; gehennæ flammis ustulentur. Non juvat tanta consolantiũ sententiarum S. Scripturæ series & mellitorum alloquiorum numerus, quæ impiis plerumq; æquè ac piis infundimus, putantes, nos munere nostro piè functos, ubi tantam, dulcissimorum verborum farraginem in ægrotos coacervaverimus. Hoc providæ pietatis opus est, solvere, quem Deus erit soluturus, neq; abuti istis regni cœlorum clavibus. Multos certè Deus à beatitudine æternâ excludet, quibus quasi salvũ conductum

ductum & testimonium probitatis, tot allatis solatiis, concessimus. Sacrilegio affine est, prodigum esse rei hujus sacræ, eamque canibus dare. Facilè enim ex nostra ista solatii profusione, pessimæ quisque hanc consequentiam efformabit: *quot & quantis Te polluveras sceleribus? Farta penitus flagitiis anima erat. &c. Verum enim verò, cùm vix dixeram, me pœnitere meorum scelerum, statim illa expiata & remissa fuerant. Hactenus quidem animum immenso vitiorũ aggere, & quisquiliis cumulaveram, sed unica lachrymantis oculi guttula omnia uno momento eluit! quàm non difficile est ad cœlum gradi, & in montem istum altum ac sanctum eniti? Facilis quidem descensus Averni, sed revocare gradum, opus & labor non est! Nullum ergò necessitatis durum telum cogit, ut quis tempestivè atq; serìò salutem suam operetur! Vnicum momentum, unicus pœnitentis voculæ sonus, & stillantis oculi lachrymula, sufficit!* Ut hinc liquidissimè appareat, summæ prudentiæ rationem habendam circa consolandi morem, nisi videri velimus, eâ opinione esse, ac si cœlum nostris verbis recludere, & ipsi Deo modo non imperare valeamus, similes illis Russorum Episcopis, qui defunctos literis commendatitiis ad Petrum, cœlestis Regiæ clavigerum, ornabant, si quando *Sacco* fides habenda, qui in *Evang. Ioh. 20: Dominicâ quasi modogeniti*, ejusmodi epistolæ formulam, quam hic
„ subjungimus, tradit: Makaria, Dei gratiâ, Kio-
„ vensis & Halitzensis, totiusq; Russiæ Archiepis-
„ copus, nostro Domino & Amico S. Petro, Om-
„ nipotentis Dei Janitori: Mandamus ac notum
„ Tibi facimus, quòd hoc tempore è vita migrarit
„ servus Dei Princeps Sedorosolo Domirsky, utq;

eundem

„ eundem placidè & citra ullam moram in regnum
„ Dei admittas; ipsum enim exsolvimus omnibus
„ piaculis, & benedictione donavimus; ne verò Tu
„ hoc transgrediâre, illumve aliter excipias, his
„ eum literis, absolutionisque instrumento, muni-
„ vimus. Datum in supremo nostro Monasterio
„ Kiovensi, Anno. 1547. 30. Jul.

Sed veluti parvuli, ubi major annis & viribus illos territat, ictuque petit, sese post tergum adultorum recipiunt, ut ictum effugiant: Sic nos, aliorum authoritatem præstruamus, ut, quibus vilior justo est pretiosissima hæc nardus atque Gileadis balsamus, quiq; nobis infensi erunt, ob redargutionem istius suæ prodigalitatis, pugno aërem verberent. Illa autem autoritas, quam hic obtendimus, est Viri Clarissimi, *Stephani Gausenii* Prof. Salmurienſis, qui in suo de *ratione Studii Theologici* exalciato tractatu nostræ sententiæ applaudit, quò curiosum Lectorem ablegamus. Justissimè equidem Celeb. *Maresius præfat. ad Theol. parad.* infit: *Absit ab honesto viro, & qui studiorum suorum habet aliquam fiduciam, ut non audeat loqui, nisi stipat° appareat magnâ testium catervâ -- Argumentis ago, non præjudiciis, nec curo, quid hic aut ille dixerit, sed quid ex analogia fidei, usu scripturæ, & rectæ rationis dictamine dicere debuerit.* Nihilosecius aliorum authoritatem nos producimus, ne quà illi, quibus familiare est, Doctorum virorum manes atque cineres adorare, & *designatores ac nomenclatores eorum esse, qui de sua facultate scripserunt* l. c. nostras sententias acriori dente mordeant.

Simili labe laborat nimia illa defunctorum in sermonibus publicis laus; ubi interdum cœlitum

choro adscribuntur non tantum hypocritæ, virtutum umbris picti, sed & nebulones ἐπίσημοι. Rident interea illi, quibus fato functus familiarior notiorq; quàm delia canibus fuit, quique suspirantis avaritiæ, & pudendæ lasciviæ, fraudumq; aliarum, stabulum, illum fuisse norant, se sequeitaque post funera cœlum, laudesque mansuras, quamvis omnibus vitiorum inquinamentis se conspurcent, pari ratione sibi promittunt, illud Achillis verum esse, in funebribus concionibus deprehendentes

Ἐν δ' ἰῇ τιμῇ ἦ μὲν κακὸς ἠδ' ἀγαθός.

In eodem autem pretio & malus & bonus est.

Concinnè *Müllerus* in libello suo, quem insignivit titulo Erquickstunden/ si benè memini, conciones lugubres Leich-Predigen/ vocavit leichte predigen.

Præterea & publici in sacris concionibus sermones, prudenter habendi, ne quà impiis, quorum conversio intendenda, vel ludibrio fias, vel nullum emolumentum adferas. Atque hîc observandum *primò*, quod jam superius notatum est. *Deinde* autem perquam necesse erit, ut aliorum lucubrationes & Homilias, *Sculteti*, *Creidii*, *Sachsii*, *Mülleri*, aliorumq; sexcentorum Postillatorum, parcius teras, aut saltem non κακὰ πόδας reddas. Ejusmodi enim Postillæ vel potius *Postillæ* (quæ ita nuncupantur, quòd vel, uti quibusdàm placet, *post illa* priora *tempora* consuta sint; vel quod *Alcuinus* Anglus Caroli M. Præceptor, Homilias & expositiones Patrum illis Evangelicis sectionibus; vel quòd *Hugo* Barchionensis Cardinalis, qui *Gesnero* in Biblioth. circa annum 1240. vixit, easdem totis Bibliis, adnexuerit, quæ deinde *Post-illa* in docto seculo dicta, & ingenti

ingenti ardore excepta sunt, non sine detestãdo vel reliqui, vel totius sacri textus vilipendio: Ejusmodi, inquã, Postilla eum saltem in finem compilatasunt, ut vel viam expositionis Tibi monstrent, vel potius auditoribus domesticiDoctoris vicem præstent. Idcircò, ne semper eâdem chordâ oberres, fastidiumque Doctoribus crees, propriis inventionibus & meditationibus vacabis. Ne enim illi, qui domi legerunt, quod pro concione, tanquam tuum laborem, profers, furta tua, & leviora ista sacrilegia, benignè interpretabuntur. Quid quod hoc modo omnem penè cognitionis altioris majorisque profectum, & Tibi & aliis, intercipere videaris? Huc refer, quæ habet *Berkinsius lib. de conscientia.*

Tertiò & nostra Prudentia Ecclesiastica vult, tanquam manuductrix & ὁδηγὸς ad cœlum, ut concionator sacer Textus Biblicos ita exponat & denudet, quò auditoribus majus atq; majus cognitionis incrementum accedat; quod fit, ubi non tantum praxin pietatis, quæque faciunt ad colendos mores, inculcamus, sed etiam verba textus penitius, inq; iis latitantem veritatem, atque admirandam Dei sapientiam, rimamur, nec non σύγκρισιν τῶν πνευματικῶν *collationẽ rerum spiritualium*, & analogiam fidei, instituimus. Non pauci concionatorum adeò merè Practicis & Moralibus præceptis suorum auditorũ animos & aures assuefecêre, ut illi pientissimum Concionatorem vix pro tali ducant, qui longiori & accuratiori *sermonis* ὀρθοτομίᾳ, veritatem scrutatur, & ob oculos ponit. 2. *Tim.* 2. 15. Hinc plebi plerumque hujusmodi sermocinationes collaudantur, in quibus concionatores, velut *Boanerges & filii*

lii tonitrûs, accensi, in auditores verborum fulmina ejaculantur : Cùm inversâ vice illis, qui mitiori modo & majori argumentorum ordine, amorem atq; fidem in Numen, auditoribus instillare nituntur, trepidorum pastorum, mutorumq; canum, nomina indant. Vel saltem hos, concionatores Evangelicos, illos Legales, majoris honoris causâ, appellitant. Quod discrimen equidem à plurimis effertur, à pauciſſimis verò ipsâ vel Evangelii vel Legis ratio intelligitur. Si enim intimius rem introspicimus, asserendum erit, vix ullis Legis, propriè dictæ, buccinatoribus, sub novi fœderis œconomia, locum esse ; sed omnibus pastoribus *peragendum* ἔργον Εὐαγγελιστῶν *opus Evangelistarum*. 2. *Tim.* 4:5. *Deinde* sub veteri fœdere omnes Mosaicæ legis inculcatores, simul quoque Evangelii promulgatores fuisse. Non negamus, auditores divinorum de pietate, atque cæteris virtutibus, præceptorum creberrimè monendos : Hoc tantum dicimus, id non fieri semper & solum debere. Quid ergo, inquis ? DEI virtutes, atq; viæ, Iesu Christi amor, proq; animabus nostris labores, sapientiaque Numinis, *in ordinandis* Scripturæ veritatibus, & nostræ salutis causis, & operibus, nec non totius Ecclesiæ, his in terris migraturæ, fatis ac circulis, diligentiſſimè depingenda. Hoc modò, si intellectum benè imbueris, facilius voluntatem audientium ad amorem fidemque in DEum inflectes, quàm si perpetuis regulis, præceptis. & morum formandorum normis, aures eorum oppleveris. Præterquam enim quòd illi, qui suis sermonibus nihil fermè aliud, quàm Ethicam Christianam docent, missis illis veritatibus,

bus, quæ Evangelium & ornant & comitantur, non satis norunt, *cujus Spiritus filii & diaconi sint?* 2. Cor. 3: 8. Mosis discipulos ex asse æmulantes; Etiam infirmum veræ pietatis fundamentum, suis merè practicis orationibus, jaciunt. Neque verò putandum est, hoc modo, scil. æternis ad praxin adhortationibus, pietatem quàm maximè radices agere. Quanquam enim istâ viâ mores cicurentur, externaque quædam disciplina generetur, reipsâ tamen illa morum humanitas, veræ pietatis tantùm umbræ & superstitio quædam esse solet, quùm illa externa virtutũ facies absq; radice & fundamento plerunq; sit, quale fundamentum suscitatur ex cognitione æterni consilii ac fœderis, quod cum filio inivit Deus pater, nec non aliarum & virtutũ Dei, & veritatum, quæ omni acceptione, amore, atq; fide, digniſſimæ sunt. Quâ sine cognitione omnis probitas, virtutis tantum est larva, ac *Δεισιδαιμονία meticulosa in Deum religio.* Quale autem, quæso, fundamentum pietatis, & cognitionem veritatis, auditoribus suis illi adferunt, qui, ubi cujusdam typi aut symboli nervus, vel prophetiæ scopus, ad commendandas Dei virtutes, & Salvatoris, sufficientiam, enucleandæ, *ἀπροσδιόνυσα* & impertinentia loquuntur, moralia sua tantum insectantes. Quemadmodum *Erasmus in suo Moriæ encomio*, de monachorum concionibus, harumq. exordiis ait; quod *dicturi de Charitate, à Nilo, Ægypti fluvio, sumant exordium; aut crucis mysterium enarraturi, à Babylonio dracone Bel, feliciter auspicentur; aut de jejunio disputaturi, à 12. Zodiaci signis principium faciant; aut de fide verba facturi, diu de quadratura Circuli præloquantur*, quod

tantundem est, ac si velit Humano capiti cervicem pictor equinam jungere, & turpiter atrum desinat in piscem mulier formosa supernè: Sic quidam semper, ad nauseam usque practicis suis inhærentes, in fornicationes, potationes, crapulas, superbiam, avaritiam, fraudes hodierni seculi, ubi quoq; nulla de illis loquendi est occasio, invehuntur, & oppositas virtutes collaudant. E. G. si tractandus est textus *Gen.* 1: 1. 2. *In principio creavit Deus cœlum & terram. Terra autem erat informis & inanis & tenebræ erant in superficie abyssi.* Tùm putant sibi januam patere, quæcunq; scelera hominum carpendi, cùm & nunc terra sit omnibus virtutibus vacua, & spissis tenebris obducta. Quin & de *aquâ illius petræ* 1. *Cor.* 10: 4. dicturi, vinolentiam aliquorum accusant. Aut de *rubicundis vestibus illius, qui de Edome venit* peroraturi, *Esa.* 63: 1. ansam arripiunt, proscindendi illos, quos coloratior vestis tegit. &c. Non hoc dico, ac si istiusmodi allusiones, nunquam commodè adaptari possint, sed, quòd non expediat, id ubivis & unicè agere, scopoq; textûs omisso, circa mores hominum laudandos vel culpandos volitare.

Cap. XXIII.

Prudentia Ecclesiastica Anglicanam, vel Perkinsianam dictam, concionandi Methodum parcè adhibendam dictat. Tantus divisionum, mediorum, motivarum, criteriorum & regularum cumulus in sacris orationibus imprudenter sæpè congeritur. Iohannei Baptistæ cur diversam à Christo vitæ rationem sectatus sit? Locus Matth. 11: 16. 17. *exponitur. Iesuitarum Portugalliæ ars.*

Restat

REstat adhuc unum circa orationes sacras notandum. vid. Prudentia nostra vult, methodum concionandi Perkinsianam parcè, & cum grano salis, usurpari. Illâ enim ratione, auditorum aures infinitâ propemodum divisionum & subdivisionum, nec non motivarum, mediorum, & signorum mole, obruuntur, ut, dum ad res ipsas mentem advertere auditores debeant, solis numeris 1.2.3.4.5.6. &c. retinendis iisque toties repetitis, omnem diligentiam ac memoriam locare opus habeant.

Ne autem mihi quis hîc obiiciat, *quòd artè non* sit osor *nisi ignorans, aut invidus.* Verissimum quidem est dictum alicujus; ἀπαιδεύτῳ ἔργον, τὸ ἄλλοις ἐγκαλεῖν, ἐφ' οἷς πράσσει κακῶς, *Ineruditi opus est, alios culpare, in iis rebus, quæ male ipsum habent.* Sed confidenter dico, nullam aliam methodum formandi orationes sacras faciliorem esse, quam Anglicanam istam, quæ ita comparata est, ut statim suppeditet, quod loquaris. Ejusmodi autem in tot partes & particulas dissecta oratio, non absimilis est illi ficui *Matth.* 21: 19. quæ multis foliis conspicua, nullis fructibus fuit; aut cyatho, qui vino repletus, guttatim exhauriendus amico præbetur. Qui labor non tantum difficilis, sed etiam sine ullo saporis aut utilitatis perceptu foret; aut aromati, quod quò in minutiores particulas contrivisti, eò plus virium amisit. Vide *Burmann. conf. de stud. Theol.* §. 16. Præterea, cùm non tantum in una eademque concione juxta illam methodum iidem numeri toties repetantur, sed & in variis & modò non omnibus orationibus penè eadem recoquantur, facile auditorum animi tædio afficientur. Crambe enim centies recocta

cocta mors est. Ubi omnes Anglorum practicos tractatulos, ad istius methodi præscriptum pertextos, consulimus, etiamsi circa diversissimorum scripturæ locorum expositionem versentur, videbimus, singulos istius methodi amore & ductu eò abripi, ut tandem in eadem media, signa seu criteria, atq; causas &c. desinant. Hinc millies auditoribus, preces dum bonis conversatio, ac Bibliorum lectio, inculcantur, non sine fastidio Improborum, quos lucrifacere oporteret. Ad quam imprudentiã & hoc accedit, quòd interdum istiusmodi criteria filiorum Dei effingantur, quibus pientissimæ sæpè animæ in summam tristitiam, ac de salutis suæ statu dubitationes, improbi verò & hypocritæ, in carnalem securitatem, detruduntur. Huc facit, quod Pientissimus Theologus *D. Vndereik* in suo *Hallelujah cap.* 31. de istis tractatulis ait: Was sonst die vielerley kẽnzeichen an und für sich selbst betrifft/ wäre zu bedencken/ ob es nicht rathsamer und fürsichtiger gewesen wäre/ und noch sey/ daß man die darinn begriffene warheiten/ zwar nach gelegenheit der erbauung fleißig/ aber eben nicht unter dem nahmen der kẽn- und merckzeichen eines auffrichtigen Christen/ als mit der höchstẽ fürsichtigkeit hätte fürgestellet/ und gebrauchet. Dañ weilen dieselbe mehrentheils so einfältig/ bloß und oben hin/ ohne genugsame erklärung und fürsichtige beschränckung/ gebrauchet werden/ wann und wie weit/ oder wie weit nicht/ dieselbe für unfehlbar gelten und paßiren kõnen; so gibt es die erfahrung/ daß die schwachen im glauben durch dieselbige offt mehr verwirret/ als erbauet werden. Dañ was unter einem einfältigen nahmen oder titul/ darunter vielerley staffeln können be-

griffen werden/ fürgestellet wird/ wie die wort lieben/ fürchten/ gehorsam/ item nicht tödten/ nicht ehebrechen/ &c. in dem Catech. erkläret seynd/ daßelbe kan den auffrichtigen unordentlich erschrecken/ und den unbekehrten sicher machen.

Tandem & cum Prudentia Ecclesiastica pugnat, totvitæ regulas, ac præcepta, juxta istam methodū, auditoribus imperare, nec non tanto conscientiæ casuum agmine, quique sæpius malè determinati atque decisi sunt, animos hominum gravare & coërcere. Exosa sæpè improbis redditur vera pietas, quam tot laciniis & additamentis oneras. Non licet cibos, commercia cum hominibus, somnum, laborem, vestes, aliasq; res adiaphoras eâdem mensurâ omnib⁹ dividere, aut singulis indiscriminatim præcipere, quid per integram septimanam matutino, meridiano & vespertino tempore, precari, legere, audire, aut si quid aliud ad externum Dei cultum spectat, obire, præcisè teneantur. Quibus tamen vitæ regulis innumeri hodie libri refertissimi sunt. Inter quos, ut omnium ferè primus & notissimus est ille libellus, qui nomen gerit *Praxeos Pietatis Boyle.* Absit, ut rigidam veramque pietatem exulare velimus! Tantùm, τὰ εὐσεβείας παέρεργα (ut ita loquar) *pietatis appendices*, uno modio admetiri & præscribere omnibus velle, imprudentiæ accersimus, aut, quæ pietati accidentia sunt, pietatem ipsam dicere ac ducere, improbamus; quin cum S. Scriptura asserimus, sæpius illa esse γυμνασίαν σωματικὴν πρὸς ὀλίγον ὠφέλιμον, *exercitationem corporalem, parùm utilem, cùm vera pietas ad omnia utilis existat.* 1. *Tim.* 4:8. neq; enim plerumq;, qui ita se se corpusque

que suum exercent, austeramq; vitæ rationem ducunt, aliud quid consequi videntur, quàm Religiosorum, præcisè piorum, & singulari modo sanctorum, nomen atque famam quemadmodum Johannes Baptista *virtutis vera custos, rigidusque satelles.* Num verò eosdem omnes idem sanctissimus scop⁹, eademq; humilitas, qualis Baptistam illum, ad istũ vitæ rigorem & singularitatem perpellat,

credat Iudæus Apellâ.

Et Romanus Pontifex Christum in pedumlotione æmulatur; at eundem utrique finem esse, alius dicat. Quod si necesse esset, ut omnes austeram rigidamq; vivendi rationem Iohannis Baptistæ imitemur, cur ergò discipuli J. C. humaniorem, ut ità inquam, degerunt? imò cur Salvator eos contrà Pharisæos, qui putabant Jesu discipulos æquè suum corpus jejunio, aliisque tetrici cultûs partibus, ac Johannis discipulos, coërcere debere, publicè excusat? Libet causam audiisse? Christus non vult, ut tui discipuli, quos in totum mundum emissurus erat, ad convertendas, alliciendasque gentes, hominibus gravem sarcinam, & veteris fœderis conditioni convenientiorem, quin à vera pietate sæpè alieniſſimam, imponerent, huic soli rei intenti, ut sincerum amorem in Deum & proximum, fidemque in salvatorem, auditoribus infunderent. Johannes Baptista expirantia veteris Test. fata claudens, illiusq; indolem adhuc exprimens, pharisaicæ & severioris sectæ hominibus, qui tùm temporis primas tenebant, sanctissimo modo in externis vitæ moribus accedere debebat; at verò non eodem fine ac animo, quo Pharisaica gens, mœstam illam

illam & asperiorem vitæ rationem sectatus est. Hinc Judæi Johannem plurimum suspexerunt & admirati sunt, speraruntq; ipsum fore Messiam. *Luc.* 3: 15. *Ioh.* 1: 20. 5: 35. Egregiè idcircò Christus Judaicam *gentem comparat pueruli*s, pro more suo, *in foro considentibus*, & parentum adultorumq; facta, lusu suo, referentibus; *quorum sodales*, Patrum Hierosolymam cum primitiis ascendentium, tibiâq; canentium, & inter hujus, aliorumq; festorum dierum, lætitias atque melodias, saltantium, vel etiam funera celebrantium, & triste lamentantium, ritus ac mores reddebant, *consortibusq; suis acclamabant*: primò, ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε, *Tibiis festiva ac læta cecinimus vobis, at non saltastis*; Deinde, ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκόψασθε, *lugubria cecinimus vobis, at non pectus manu planxistis*, *Matth.* 11: 16. 17. vid. *Cl. Salom. van Till* in h.l. quibus verbis Christus hoc dicere vult, nempè, quòd ipse Judæis, velut ad nuptias invitatis, aut ad festum ituris, dulces cantiones fistulâ modulatus sit, humanissimo modo cum ipsis conversans, edens ac bibens, morumq; civilitate & clementiâ, amorem ipsorum & obsequium trahens, austeriore vitæ ratione, duroq; difficiliorum regulatum jugo, sepositis, v. 30. verùm, quòd Judæi tibiæ suæ voci non responderint, nec probæ, & ad fruges redeuntis vitæ, circum, choreamque, duxerint, sed Christum salutis ducem spreverint: Rursus, Johannem Baptistam, severioribus suis moribus, hirsutâ veste, jejunio, agresti tenuiq; cibo, & à vino abstinentiâ, Pharisaicam istam gentem, quæ multũ, & fermè omnia, huic vitæ generi tribuebat, imitatum, lugubria quasi clanxisse; Judæos autem, quan-

quamquam singularem Johannis pietatem admirarentur, non tamen *tuliſſe fructus reſipiſcentiæ convenientes*, neq; pectus præ peccatorum ſenſu percuſſiſſe. Ut quaſi ita nationem iſtam affaretur Chriſtus;

Non cantum duplicis deſpice tibiæ;
Nec Te ſæpè vocanti
Duram, difficilis mane! Hor.

Sed è diverticulo in viam! quid, quæſumus, fit iſtâ perenni certorum dogmatum, regularum ac ſingularium legum impreſſione, quas vel hodie quidam fidei & pietati addere, neceſſe & pulcrum ducunt? *Primò*, hâc ratione plurimi, iique ſinceri Chriſti ſervi, cùm vident, ſe impares eſſe ſervandis iſtis regulis ac præceptis, quæ tanquam ſepes pietati & fidei junguntur (quemadmodum olim, & nunc, Judæi multas legi ceremonias addebant, quas vocant סיג התורה *ſepimentum legu*) ſuam ſinceritatem & ſalutem in dubium vocare cogentur. *Secundò*, plurimi Hypocritarum, temporariâ fide dealbatorum, quùm majori promptitudine & quaſi naturâ ac habitu, quem crebriori uſu ſibi comparavêre, iſtiuſmodi regulis & præceptis obedire poſſint, verâ interim fide ac pietate, quæ in abnegatione rerum mundanarum, & ſui ipſius ſeu omnis φιλαυτίας conſiſtit, valere juſsâ, hoc modo in graviſſimum lethargum dedentur. *Tertiò*, plurimi Improbi, & inſigniter flagitioſi, qui detecta fronte in ſcelera ruunt, hâc regularum, legum & ſanctionum mole, nec non rerum indifferentium interdictione, ut veram pietatem abhorreant magis, adigentur, malintq; in libero improbitatis carcere hærere, quàm tot repagulis & catenis Chriſtianæ libertatis conſtringi.

Nihilo

Nihilo tamen secius negari non potest, quòd, si non tàm inter Christianos versaremur, quàm inter Judæos & Muhamedanos, qui summâ istiusmodi austeræ vitæ, & corporalis exercitationis admiratione capiuntur, quin modò non omnem pietatem ejus ambitu terminant, tùm ad eorundem ædificationem respicere, & instar Iohannis Baptistæ, famâ & januam, severioribus vitæ institutis, aperire nobis deberemus. Hoc secuti sunt Jesuitæ Portugalliæ, qui Brachmanas Bengalenses, cum consensu Romanæ curiæ, mirâ similium morum & assumpti habitus æqualis arte, sibi devinciebant. Quòd autem Salvator N. non ita, uti Iohannes, pari vitæ ratione, Pharisaicæ genti sese commendarit, factum est, *partim* ea de causa, quam superius tetigimus; *partim*, quoniam is plerumque conversaretur cum publicanis & peccatoribus, nec non iis, qui sub intolerabili ceremoniarum jugo gemebant, quorum sauciam conscientiam asperior Salvatoris consuetudo magis ac magis vulnerasset; *partim*, ne quà illi, qui vitæ & pietatis exemplum à Christo petituri essent, in eam sententiam descenderent, ac si sanctitatis ratio, in istarum vitæ regularum & difficiliorum institutorum observatione esset posita, seque omnes & singulos, ad illa teneri.

CAP. XXIV.

Prudentiæ Ecclesiasticæ usus versatur etiam circa res civiles & politicas. Consilia & Negotia Magistratûs non temerè arguenda. Sæpissime fallimur, cùm Magistratui scopum quendam affingere non dubitamus, quoniam arcana plerumq; sunt ejusdem consilia ac

molimina. Neque Concionator debet *Magistratum publicè reprehendere.* Locus 1. Tim. 5: 1. *explicatur. Objectioneſque ex* Pſ. 119: 46. 1: Sam. 15: 24-30. 2. Sam. 12: 7. 1. Reg. 18: 18. *refelluntur. Ambroſii & Chryſoſtomi ſuperbior zelus notatur.* Laudatur prudentia Uſſerii, carpentis Cromvvellum.

(2) SEd & circa res Politicas verſatur Eccleſiaſtica prudentia. Aliquot Maximis ſeu Regulis deſcribamus, quid hîc prudenti ac pio homini conveniat, &, *quo tandem pacto deceat majoribus uti? 1. Omne id quod præcipit ſummus Magiſtratus, ſi non clarè & diſtinctè videatur cum lege divina pugnare, obligat ſubditos.* Adeoque mandata Magiſtratûs, quamvis nobis dura aut ſententiæ noſtræ contraria, aut etiam moleſta videantur, ſi ex verbo Dei clarè refelli non poſſunt, tanquam hominum dictata non ſunt rejicienda, neque iiſdē opponi debet illud, quod legimus *Act.* 5: 29. *Obedire decet Deo potius quam hominibus.* Hoc enim modo graviſſimè & Majeſtatem Principum vulneramus, & bilem eorum provocamus. Sed manum de tabula! neque enim Iliadas ſcribere poſt Homerum vel licet, vel lubet. Lectorem ideò remittimus ad limatiſſimum (& quid ille non, quod non ſit conſummatiſſimum?) tractatum *Celeb.* D. *Fabritii de Lenitibus obſequii erga homines*; & ad prælectiones de conſcientia 5. 6. 7. *Sanderſoni. 11. Nihil eorum, quæ ſummus Magiſtratus agit, ſi non clarè & diſtinctè videatur in divinum verbum incurrere, à Chriſtiano homine malè interpretandum eſt.* Nam, quemadmodum quævis ſcientia & ars,

ars, suas habet rationes, regulas, modos & methodos, sic & ars benè gubernandi. Sicut autem ruricola & sutor ignorant, quâ ratione ordine, & modo, horologiorum faber sonantes istas machinas construxerit? & propterea inscitiam atq; invidiam suam produnt, si quando artificem istum erudire, carpere, temnere, audent; ita & ars seu prudentia politica suis geritur regulis, modo, & ordine, suasque trutinat circumstantias, non minus ac Prudentia Ecclesiastica, idcircoque malè & imprudenter ab illo plectitur, qui ejus rationem nescit. Audivimus supra, intolerandam sæpè esse, si non superbiam, saltem iniquitatem, viro pio ac prudenti, quando quid agit, quod pro ratione scopi æque bonum ac malum esse potest, semper mali notam adspergere, licet circumstantiæ, & finis illius, nos fugiant: Pari modo ille Theologus vel privatus Christianus peccat, qui res & negotia Magistratûs censurâ notare, & siniſtrè interpretari, non erubescit, querulâ linguâ spargens, horologium politiæ recto ordine aberrare; quamvis tamen nesciat, qualis sit ille politiæ ordo, & quâ serie istius Horologii rotulæ connexæ sint, seseque mutuò excipiant, aut quâ ratione & cur, idem illud, juxta temporum rerumq; vicissitudinem, temperari, & ad maturandum, vel cohibendum sonum (quod in obsidionibus usu venit) dirigi debeat? syncipitis nostri sensus sæpè principalius horologium est, ad quod reliqua examinare, & flectere cupimus. Sed maximoperè fallimus & fallimur. Sæpè enim & passionum & inflati animi impetus, tanquam frementes turbines, ita nos invertunt, ut nostræ mentis judicium deviet,

illiusque horologicus index, non in debitam, sed contrariam horam, vergat. Adeoque perfricta superbia & ὑπερφρόνησις eos incessit, qui harmonicam politici Regiminis Machinã, ad imperitæ ἀυθαδείας, pervicaciæ, & singularitatis suæ lyram, vel potius delirium, instituere satagunt. Quisque in suo centro &, ut ita ajam, in activitatis & scientiæ sphæra persistat, neque pedem in alterius artem inferat, ne quà nasutuli sutoris nomine notetur Æsopicum illum rusticum vel ipsius Jovis gubernacula arrodere, & mundi sydetum, ventorumq; ac pluviarum æqualiorem temperiem sibi promittere ausum, at & in pudorem datum, fabula narrat. Neque Dei filius tantum Herodis, Pilati, aut Hierosolymitani Synedrii imperium, quantum Levitarum & sacerdotum regimen, reprehendisse legitur. Esto ergò hîc nostrum symbolum, illud Apellis;

Ne sutor ultra crepidam!

vel illud Socratis;

Quæ supra nos, nihil ad nos!

Quàm imprudenter itaque quidam audacem frontem hîc impingunt, modo non omnia, quæ Princeps, certo fine ac opertarum circumstantiarum jussu, facit, aut omittit, in sinistram partem sumentes? Quoties ergo videmus, famulos aulicos μαλακοῖς ἱματίοις mollibus vestibus, splendidissimisque togis, amictos, aut Siculas dapes paratas, aut scenicos ludos à magistratu institutos, & ad hæc non exiguam argenti vim subditis exigi, si nescimus, in quem finem, aut ad cujus Regis Principisve honorem, ista fiant, qui Princeps forsan nostro Magistratui ambiendus, & ad benignam mentem aut fœdera in-

ineunda movendus est, non statim debemus eadem culpare, ne nostri symboli monitum transgressi, animum Magistratûs & à nobis & à veritate, alienemus, quod facile contingere potest, sicubi Magistratus, suæ innocentiæ certus, proterviam nostram in adscribendis finibus, quos nunquam intenderit, perspiciat. Non enim semper Magistratus in isto externo vestium, mensarumque, splendore aut ludicris, terminat, sed illis ad potiorem scopum utitur. Neque verò expedit, ut Magistratus omnibus statim subditis rationem propalet, quâ ad hoc vel illud faciendum, omittendumve, commoveatur. Sic etiam malè audire non meretur semper ille Princeps Christianus, qui, sicut Salomo cum Hiramo, cum quodam Rege ad Mysticam Tyrum spectante, fœdus pangit. 1. *Reg.* 5. Hisce conveniunt; quæ *Cel. Burm. p. m cons. de Stud. Theol. c.* 3. §. 41. monet. *Haud facilè verò in rebus Politicis quicquam iniquum judicandum est, cùm artcana plerumque sit eorum ratio, quam ut alii sciant, sæpè nec expedit, nec necesse est, & actionum civilium natura in plurimis dependeat à circumstantiis quibusdam vulgò non cognitis, quare species externa & prima frons in hisce facile fallit.*

Restat Tertia Regula, seu Maxima, quæ huc facit, nempè *III. quàmvis Magistratus quicquam committat vel omittat, quod distinctè & clarè videtur verbo Dei contrariari, nemo tamen illud publicè carpere jure potest.* Eadem docet *Burm. l. c. Reipubl. gubernatio magistratui solidum relinquenda est, & quantum fieri potest,*

est, privatim potius reprehendendus est, quàm publicè nisi quòd publicè semper generatim monendus veniat, ne quid committat, quod cum detrimento gloriæ Dei, & salutis Reip. ac Ecclesiæ conjunctum sit. Et idem ille *Synops. l. 8. c. 10. §. 24. Adhibenda hâc in parte maxima prudentia & moderatio, neque crimina eorum (Magistratuum) licenter in vulgus efferenda, nec publicis invectivis sceptrorum majestas facilè lacessenda est. Magistratus ne execrator, & Principi in populo tuo maledicito. Exod. 22: 28. Nec temere etiam in sermone ad populum regnorum momenta nudanda, ac libranda sunt; Habent enim illa plerumque secretum suum, quod explorare, ac audacius evolvere velle, intempestivæ cujusdam sapientiæ foret.* Nam, *si seniorem non licet increpare, sed tanquam patrem monere.* 1. Tim. 5: 1. certè pietatis erit, Magistratûs honori consulere, *ac prudentiæ, ita rem moderari, ne facilè accusationum acrimoniâ terrarum Dominos Ecclesiæ inconciliemus.* Quare in hunc Pauli locum hæc confert commentator. Ille, frequentissimè nobis laudatus; *Quis verò ex his non intelligat, quomodo agendum sit cum Principibus, & cum capitibus populi? Quibus is, qui monet, etiam subjectus est? Nemo hîc suum zelum prætexat immodestiæ! Quis zelosior Eliâ? Et tamen memorat scriptura, quòd succinctus coram curru Achabi Regis cucurrerit Jzreelem usque. Potest utrumque retineri, honor cui honor, metus cui metus, & παῤῥησία modesta, ut non communices cum alieno peccato, ut σώζῃς etiam Principem ἀκόντα.* Non aliena sunt, quæ invenio inter articulos, quos, ut puto, Romano-Catholici Hiberni, Legatis Caroli II. Regis, tradidêre: Wel

acknovv-

acknovvledge, that the che Cheife & Principall ſubject of Miniſters in their ſermons should be in inſtructing of the people in the right faith of the Goſpell, good life & manners; & that their diſcourſes should noe vvay intrench upon the civil goverment, of transactions of ſtate Buſineſſes, to detract from them, by poſſeſſing the people vvith any ſcandalous ſuppoſitions, vohich may alienate their affections & obedience to them; & that they should no communicate any myſteries „ of ſtate &c. Confitemur, principalem ſermo-„ num, quos concionatores habent, materiam, „ hanc eſſe debere, ut populum veram Evangelii fi-„ dem, vitam inculpatam, & mores probos doce-„ ant; neutiquam verò illos de civili Regimine, „ Reipublicæ fœderibus aut negotiis, verba ſerere „ oportere, ne quâ nigro carbone tingant eadem, „ aut populo alienas & refractarias opiniones ſug-„ gerant, amoremq; & debitam Magiſtratui obe-„ dientiam extinguant. Neque etiam illis fas eſt, „ Reipublicæ myſteria in vulgus ſpargere &c.

Occurrendum hîc quorundam zelotarum objectionibus. Quidam adverſus noſtram ſententiam producere non dubitant (A.) illa Davidis verba Pſal. 119: 46. *Loquar de teſtimoniis tuis coram Regibus, & non pudebit me.* Reſp. At verò David vel loquitur de parrheſia fidelium, qui veritatem etiam coram ſumis tribunalibus, ad quæ trahuntur, ediſſerunt. *Matth.* 10: 18. vel de eorundem magnanimitate, quâ non verentur Divina oracula coram Regibus, & Principibus, proferre; *Cùm multorum ea ſit infirmitas, ut de DEI teſtimoniis coram Regibus*

loqui non audeant, multorumque tàm improbè ruſticus ſit pudor, ut de iis loqui erubeſcant. Hinc fit, ut Reges, altosque in mundo ſublimes cœleſtis veritas fugiat, dum quilibet abſtinendo ab ingratis ſermonibus favorem ipſorum captat. - Verentur enim, ne alii ſe pro pios vel DEI filios habeant, & ſic eos contemnant atq; vilipendant. Tam vilis ipſis & abjectus eſt hic theſaurus, ut ne ſermone vel proloquio quidem videatur dignus. Sic *Erneſt. Andreæ* in h. l. itaque hic locus contra nos planè non militat; docet enim tantùm, generatim monendos de veritate divina Principes, non verò publicè & ſpeciatim illosmet ſugillandos. Addunt, (B) *Saulum Regem à Samuele publicè, & non mollibus verbis, correptum.* 1. *Sam.* 15: 24. 30. ℣. Ex verſu 30. Patet, hoc inter Saulum ac Samuelem colloquium non publicè, ſed remotis arbitris, habitum. Samuel enim cum Saulo regreditur, ne populus audiat, quæ Saulo ſit perhibiturus. Neque etiam inter Saulum ac Samuelem tantum intercedebat discrimen, quantum inter Regem & Concionatorem hodiernum, ut illi amplius jus fuerit, quàm eſt nobis. Erat enim Samuel non ita pridem Judex in Iſraële, longô major ipſo Saulo. Poſtquam vetò ad Regnum admotus eſt Saulus, Imperium Samuel, non dignitatis pondus, remiſit. (C) *Nathanem Davidi publicè, & in os, dixiſſe,* אתה האיש הבן מות, *Tu es ille vir, filius ille mortis.* 2. *Sam.* 12. 5 - 7. Reſp. Liceat hîc uſurpare verba doctiſſimi cujuſ-
„ dam comentatoris in h. l. Contemplandus hîc
„ Nathan, tanquam præclariſſimum exemplum,
„ caſtigandi peccatorem, eique pœnitentiam præ-
„ dicandi. Non enim Davidem publico in cœtu

ple-

„ plectit, sed clàm & inter privatos, ut videtur, pa-
„ rietes, *ipsum accedens*, h. e. in regium cubiculum
„ subiens. ℣ 1. Neque virulentis verborum telis
„ Regem cædit, qualia sunt, furis, prædonis, adul-
„ teri, homicidæ & similium probrosa nomina,
„ verùm modestè, nec minus animosè, re dilucidè
„ propositâ, redarguit. Alia præterea fuit Eliæ, 1. *Reg.* 18: 18. 21: 20. cæterorumque Prophetarum ratio. Illos enim DEus singulari imperio & mandato instructos, ad Reges Israëlis mittebat, iisque & res & verba, quibus uti oportebat istos Regum Censores, & Israëliticæ Reipublicæ Ephoros, dictabat. *Ier.* 26: 12. *Amos.* 7: 10. - *Esa.* 26: 2. *Num.* 22: 28. 23: 12. confer. *Burm. Synopsi. l* 8. *c.* 10. §. 24. *& Cel. VVitrichij*, Præceptoris non ita dudum mei Honoratissimi, nunc in cœlis agentis *Theol. Pacif. c.* 19. §. 323. Quorum hic simul ostendit, temerarium fervorem ac factum Ambrosii, qui Imperatorem Theodosium immoderato & indecenti modo vexavit, ad exemplum trahere velle, summæ in Magistratum iniquitatis fore. Non ferenda profectò istius, cæteroquin Pii, Ecclesiastæ superbia fuit, Patientissimum illum Principem tanto verborum fulmine percutere, & velut canem per octo menses extra Ecclesiam & cœtum ejicere, quem clàm monere, & humanis submissisque moribus invitare præstitisset. Eodem vitio laborabat Chrysostomus, qui non tantùm Imperatricem Eudoxiam sacris cœtibus excluſit, sed & in eandem, aliosque Magnates, sæpius sermones immodestos effudit. Fuit illius

Fervor, *per medios ire Satellites*

Et perrumpere amans saxa, potentior
Ictu fulmineo.

Inter alia, aliquam suarum orationum his verbis inchoavit: *Rursum Herodias furit, rursum turbatur, rursum ab Herode caput Iohannis petit abscindi, rursum Iesabel Nabotho vineam eripere pertentat, ac sanctum Eliam ad montes persequendo compellere.* Quis non horreat horum verborum inverecundiam? Itane Majestas Superiorum temeranda? Nemo hanc Chrysostomi immodestiam sanctissimi zeli nomine tingat. Erat quidem ille *vir sanctæ vitæ, sed iracundior & imprudentior*, dicam, interdum justo elatior, *liberrimúque oris in castigandis magnatum vitiis. Horn. Hist. Eccl. art.* 3. §. 27.

Ex quibus facile fluit, quàm incautè non ita pridem concionator quidam Lutheranus, in nobilissima quadam urbe, tanquam *υἱὸς βροντῆς Marc.* 3:17. in summum, nunc suum, Magistratum acerbissimâ oratione invectus sit, delecto in hunc finem loco *Dan.* 8: 23 - 25. Transgressus hoc modo nostræ Prudentiæ Regulam, non tantum suum caput, sed & totius urbis libertatem ac Religionem in periculum adduxit, quod evitare prudenter decuisset. *Matth.* 7: 6. stolidus zelus est, imprudentisque animi morbus, cum navicula sua furenti turbini obniti. Præstat per tortuosos flexus & velis remissis ad portum contendere, quàm tempestati obviam ferri, suamque & aliorum salutem in discrimen dare, *prov.* 22: 3. Quod si tamen magnates monendi sunt, fieri id debet privatim, subductisque testibus, nec non mellitissimis verbis atque moribus, & quidem ubi occasio opportuna ferat,

ferat, ne in Te, temerè pulsantem, acriter recalcitrent. Convenientissimè ergò Jac. Usserius, Vir optimus, cùm in cubiculum Cromvvelli, famosissimi illius Usurpatoris, intrasset, audissetque eundem inter manus chirurgi, qui ulceri pectoris medebatur, ita loquentem; Benè habebo, ubi hoc ulcus sanatum fuerit; respondit: modo non sit profundius tuâ opinione illud pectoris malum, quod tum summâ curâ dispellendum erit! Quæ verba Cromvvellus subridens non iniquè accepit, quòd essent privatim, tempestivè & ad rem, prolata. Uti legere est, in vita piissimi illius Hiberniæ Primatis.

CAP. XXVI.

Ritus ac ceremoniæ adiaphoræ particularium Ecclesiarum inter quas vivimus, non aspernandæ. Organi Musici in templis usus illicitus non est. Loci Eph. 5: 19. Col. 3: 16. explicantur. Aliæ res indifferentes in politia usitatæ, non facile culpandæ veniunt. An liceat elegantibus, vel etiam ad recentem morem consutis vestibus amiciri Primorum Cstristianorum vestes. *Exempla & Historiæ quædam ad rem adferuntur. Objectio ex Zeph. 1: 8. refellitur. -- Augustini sententia.*

(3) PRudentia nostra sumopere etiam amat versari circa res indifferentes externosque ritus ac mores, qui vel in Ecclesia vel in Politia obtinent. Nullibi Perez, ut sis aut in diversam abeas viam, unitatemque fratrum aut civium, levi de causa scindas. Et ut paucis de rebus adiapho-

ris

ris Ecclesiæ agamus, sciendum est, quòd omnes externi ritus, mores, ac cæremoniæ, nisi planè Judaicum fermentum, & gentilium stultitiam oleant, aut ludicræ & insipidæ sint, innoxiæ esse possint, & ad essentiam Ecclesiæ minimè pertineant. Plurimæ particulares Ecclesiæ unius ejusdemque doctrinæ, veritatis ac fidei sepè sunt, quæ tamen circa externam formam in diversum eunt; Non absimiles Patriarchæ Jacobi filiis, qui unum eundemque venerantes patrem, variantibus & distinctis togis differebant. In Palatinatu sacros inter cœtus canuntur hymni à piis animabus compositi, juxta Psalmos Davidis, cùm aliis in locis vel soli hi, vel soli illi, usurpentur. His in terris pro concione explicantur pericopæ Evangelicæ, ita dictæ, & suetæ preces rerecitantur; cùm aliis in terris liberum sit concionatori, textum eligere, & proprio de pectore preces promere. Apud nos circum mensam eunt, sacram dapem capturi, alibi verò iidem vel ad mensam uti in Belgio, vel in subselliis considunt, uti in Helvetia vel genua flectunt uti in Anglia. Hîc locorum Neogamorum publica copulatio non fieri potest, nisi interveniente & sermone & manu pastoris, cùm alibi, etiam S. S. Theol. Candidatos novorum sponsorum conjugalem fidem coram Ecclesia confirmare, non sit nefas. Germani concionatores caput nudant perorantes, Galli tegunt. Nostra templa & organorum musicorum & vocum concent⁹ sæpè perstrepit, quòd alibi vix sacrum esse censetur &c. Ubicunque ergò fuerimus, ad Ecclesiæ illius ritus accedamus. Benè Ambrosius ad Monicam Augustini

ſtini matrem: *Romam ubi veneris, morem ejus ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quenquam Tibi.* Et quantùm ad inſtrumentalem Muſicam, præſertim ad Organa, ita nuncupata, mirum eſt, quòd illa quibuſdam, Chriſtianorum congregationibus & Templis indigna, videantur. Nullibi certè S. Scriptura ea proſcribit. Potius commendat. *Eph. 5: 19. Loquentes inter vos mutuò pſalmis & hymnis, & cantionibus ſpiritualibus canentes & ſpallentes*, non tàm labiis ac inſtrumentis, quàm *in corde veſtro, Domino. Neque enim, in corde veſtro, idem hîc declarat, atque intus & apud ſe quùm mentio fiat canendi & pſallendi*, ait h. l. Beza. Et celebratiſſimus noſter author: *Pſalmos hymnos, cantilenas, ſic diſtinguimus, ut Hebræi* מזמור, תהלה, & שיר & נגינה *diſtinguunt. Eſt vel ligata oratio & carmen, vel etiam voce modulatâ canitur vel additur inſtrumentum.* Et paulò pòſt: *Juſtinus Martyr* ὀργανικὴν ἀποδοκιμάζει *ut* παιδιὰν, *quæ inſervierit infantibus in V. T. dicamus igitur & Davidem* νήπιον *fuiſſe & Eliſæum. Nos ſumus* ὁμοιοπαθεῖς *illis & illi nobis. Si quâ ſignificatio typica in organis fuit, ea ceſſat. Quatenus autem lætitiæ ſpiritualis adjumenta & teſtimonia ſunt, poſſunt adhiberi, dummodò id fiat* μετ' οἰκονομίας. Ejuſdem ſententiæ ſunt alii Theologi exactiſſimi. *Elton ad Col. 3: 16. Crocius ad Eph. 5: 19. Burmannus 1. Chron. 25. p. 217. &c.* Et quare cantamus in concionibus? nonne, ut vel ſpiritualem lætitiam vel triſtitiam in nobis excitemus? nam ſonum cantûs, quem in aërem emittimus, alii fini inſervire, nemo facile dixerit. Cur itaque nec vocem modulari, nec inſtrumentis Muſicis modeſtè

uti,

uti, iisdemque mentem ad pietatem disponere, æq; ac simplici voce, liceat? Utroque enim modo innoxius sonus in aëre formatur, & utroque modo, si excedas, peccare poteris.

Quod si ergò peregrini nos, Ecclesiæ in aliis terris associamur, patriæ ritus in eam inferre, si id cùm scandalo & turba fiat, peccato non caret. Concionatores Palatini justissimè idcircò *art.* 5. suæ ordinationis, obstringuntur; sich denen hier zu Land üblichen Gebräuchen und Ceremonien durchauß und in allen Puncten gemäß zu verhalten/ und dieses falls für sich selbst nichts sonders zu machen.

Qui verò ordini & ejusmodi ritibus, qui in particulari Ecclesia obtinent, modo honesti sint, nec contra decorum, & N. Testamenti naturam, pugnent, pervicaciter obstrepunt, in S. Scriptura vocantur ἄτακτοι, & ἀνυπότακτοι, *perturbatoros inordinati, & refractarij, qui obsecundare recusant.* 1. *Thess.* 5: 14. 2. Thess. 3: 6. 1. *Tim.* 1: 9. Regula, quàm & omnes Ecclesiæ in præscribendis ritibus, & nos, qui illis adjungimur, in observandis iisdem, intueri tenemur, est illa Pauli sententia: Πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω! *Cuncta decenter & juxta ordinem*, seu præscriptum, *fiant.* 1. *Cor.* 14: 40.

Cæterum quantum ad istos ritus consuetudines, atque mores, qui in Politia valent, observare eosdem, nos illis accommodare, salvâ pietate, possumus. Si fueris Romæ, Romano vivito more; h. e. Noli in Reipublica singularitati studere, & receptos ritus dedignari. Omnes autem illi ritus ac mores innoxii & adiaphori ducendi quos neque Ratio neque S. Scriptura clarè & apertè comdemnat,

nat. Ac proinde temerarium fuerit, ejusmodi res indifferentes in aliis, tanquam malas, & improbitatis comites carpere aut damnare velle, cùm earundem rerum bonitas aut pravitas à scopo utentis reliquisque circumstantiis, plerumque pendeat. Duo enim cùm faciunt idem, non est idem. Unam sæpe duo rem agunt, qui longissimè tùm quoad scopum, tùm quoad circumstantias, distant, quorum idcircò alter peccat, alter non peccat. Præjudicando autem utriusque scopum rimari, & indicare, charitas vetat. At non sufficit, non damnare alios, qui civiles mores, ritusque induunt, sed & unicujusque Christiani hominis, qui animas captare & Christo lucrari cupit, officium quodammodo est, civiles seculi mores adsciscere, non ut sibi sit commodus, sed ut proximo quem hâc ratione, velut hamo, adducimus, instar illius Chirurgi, qui Sereniſſimæ fœminæ, phreneſi laborantis, venam secturus, cùm illa φλεβοτόμε scalpelli aspectum ferre non posset, mercatoris personam induit, subterque suis mercibus, quas corpori illius applicabat, scalpellum occultans, felicissimè sanguinem elicuit. Simili modo in externis, indifferentibusque rebus, mundum sæpè imitari, & supter iis sacram lanceolam occulere expedit, ne improbis, aliisque, tædio simus, aut sanam doctrinam inconciliemus, despicatamque reddamus. Ejusmodi res indifferentes sunt, mores, gestus, ceremoniæ, festivitates, cibi, potus, vestes, supellex &c. Hic rogamus Lectorem, ut nolit suo præjudicio in nos irruere, sed potius æquâ mentis lance, quæ præmisimus, dicturique imposterum sumus,

mus, ponderet. Non dicimus, peccari iis rebus non posse, quin sponte largimur, frequentissimè id fieri. Tantum volumus, quòd inchristianum sit, alios illis rebus utentes, eapropter damnare, aut rigidius plectere porrò, quod nos interdum deceat, easdem res usurpare, sed modicè, & ad finem, quem nobis imperat proximi salvandi amor.

Itaque nemo siniſtrè interpretetur, ubi videat Christianum hominem, pastoremve εὐσχημόνως & honestè amictum. Pretiosissimus lapis aut adamas eò magis conspicuus redditur, si auro circummunitur; verùm si tantâ arte aurum circumdatum sit, ut plus laborem curamque in circumponendo auro, quàm lapilli pretium & dignitatem admireris, multum ipse de honore suo amittet. Attamen indignum fuerit, ejusmodi lapillum cupro vel plumbo vestire; quùm & hoc modo non parum decoris dignitatisque ei sis ademturus. Simili ratione decorus & εὐσχήμων habitus aliquam honestatem homini Christiano, & Pastori adfert, qui, si vel artificiosâ & pretiosa aut etiam vili magis, quàm decet, veste sese cinxerit, vel in scandalum, vel in ludibrium extraneis cedet. Extrema in quacunque re sunt vitanda. Lubeat hîc audîsse commentatorem nostrum ad Col. 4: 5. §. 35. Ἀκρίβεια præstat ἀπρόσκοπον ἀμεμπτίαν. *Huc pertinet etiam decus in habitu, ut is sit* εὐσχήμων, *nec sordidus, nec jactabundus, nec insolens; Medius inter vanitatem & ostentationem singularitatis, naturæ hominibusque & locis, inter quos vivas, accommodatus Christus* σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος *illam* ἀκρίβειαν *serviat. Si verò*

ita

ita vivere est sapienter vivere atque agere; ergò stultum est, non in fide atque charitate ambulare. Nam ita nec Deo placemus, nec homines lucramur, ut eripiantur Satanæ, & Christi spolium fiant. Hæc stultitia est eorum, qui nec regnum Dei, nec salutem suam, aut proximi curant.

Facile damus, quod & paulò ante concessimus, gravissimum peccatum committi nimio illo sui cultu, & ostentationis studio:

Quid juvat ornato procedere, capillo?
Et tenues Coâ veste movere sinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrhâ?
Teque peregrinis vendere muneribus?
Naturæque decus mercato perdere cultu?
Nec sinere in propriis membra nitere bonis?

ut eleganter *Propertius*. Sæpè enim ille, *cui neque servus est, neque arca, nec cimex, neque araneus, neque ignis*, omnem substantiam in habitum profundit. Hoc damnamus, hoc carpimus! Hîc autem cum commentatore nostro (cujus pietas, & inculpati mores ab ipsis adversariis collaudantur) solummodo docemus, quòd homo Christianus, & V. D. Minister, sumere possint vestem, quæ non sit insolens, uti loquitur modò citatus author, & præter morem, sed quæ sit naturæ, ætati, conditioni ac dignitatis gradui, hominibusque ac locis, inter quos degunt, conveniens. Cujus rei verò gratiâ? ostentationis? Absit! sed in hunc finem, ne, uti hîc author & nos, suprà sæpius, monuimus singularitatis & pertinaciæ speciem præ se ferant, adeoque omnem placendi extraneis, eosdemque lucrandi, spem perdant.

Cùm nihil clarum magis, quàm quòd is, qui nolit hac in re συσχηματίζεσθαι τῷ κόσμῳ, se conformare mundo, sed juxta illum seculi morem, modumque, qui ante proavos nostros obtinuit, vestitus incedere, sua cum singulari pietate ridendum, & probitatem suam, tanquam morositatem, & Pharisaicam hypocrisin, interpretandam præbeat. Integer Christiani hominis habitus communi Reipublicæ consuetudini non sit adversus. Alioquin, si quando aliis aggregari, & pia monita suggerere velimus, citius nobis illudi, quàm aurem dari, continget. Viro pio, vestis honestè composita, ex qua nec ostentatio nec singularitas elucet, magnam authoritatem apud homines hujus seculi, parat; Illi enim pios non tantùm auribus, sed & oculis, legere solent. Ubi verò neque auditum neque visum illorum offenderis, aditum tibi & januam ad animos eorundem aperuisti. Cor profani hominis simillimum est firmissimæ arci, cujus exteriora propugnacula & præmunimenta sensus sunt, qui proinde primùm leni accessu occupandi veniunt, antequam ipsâ arce potiri liceat Frustrà ille arcem petit, & non absque ignominia, & operæ damno, repelletur, qui non tentat suavi assultu propugnacula ista antè capere. Dedecet quoque Christianum hominem tetricum esse, & sanctitatem vultu aut habitu studiosè ostendere. *Vestes tuæ semper sint candidæ.* Eccl. 9: 8 confer *Matth.* 6.: 16. Primævæ Ecclesiæ fideles, inter Romanos, pro toga pallium sumebant, instar Philosophorum & bonarum artium cultorum. Hinc *Tertulliani* liber *de pallio.* Quòd si

quis

quis putet, oportere nos antiquum in amictu morem sequi, nec posse absque crimine in hac re hodierno seculo respondere, is eodem jure nos obstringet, ut vel primos illos Christianos imitemur, vel cingamur μηλωταῖς ἢ αἰγείοις δέρμασιν, *ovillis & caprinis pellibus*, quemadmodum antiquissimi Pii. *Hebr.* 11: 37. aut exuvias Leonis uti Hercules, vel ursi, uti antiqui Germani, vel cameli, uti Johannes Baptista, gestemus; Cùm tamen nullus eorum, qui hisce seculi nostri moribus intempestivius obstrepunt, ita canam antiquitatem revereatur, ut audeat obsoletos habitus reducere; sed omnes tandem, quamvis aliquandiu torrenti isti obstiterint, ab eodem victi secundùm ejus tractum deferantur, vestiumque formas, quales in juvenili aut virili ætate mutabile ævum præscripserat, in senili in alias immutent. Absit dicamus licere homini Christiano, novas habituum formas comminisci, aut incipere, aut omnes illas formas æmulari, quas vel superbæ gentes, ex politico, aut œconomico intuitu, vel homines pigritiâ diffluentes, & ad meliora inutiles confinxerunt, qui sic penè quotidie in aliàs vestimentorum formas se trajiciunt, omnem novitatem deosculantes, vertumnos se esse produnt, omni peregrinæ superbiæ flatui obnoxios. Hoc solum licet, scil. ne videâre obstinatæ frontis, & singularis syncipitis, ut in externis illis nolis esse semper contrarius seculi filiis, sed ut, influendi in eorum animos, ipsosque lucrandi, gratiâ, communissimâ vestium formâ, eâque honestâ, citra fastum & profusionem, utaris. Quod tamen fieri

posse non video, nisi te subinde novitatis istius torrenti, quem morari non potes, permitta trahendum: aliud enim est furenti fluvio ferri obviam, qui labor incassum insumitur; aliud, cum animi lubitu secundo flumine condescendere; aliud, ab illius violentia superari, aut furori illius paulatim concedere: Illud, pervicaciæ & singularitatis; istud, vanitatis & superbiæ; hoc, prudentiæ est. Insipida exinde pietas dici meretur, si quis gestu & habitu velit videri singularis, aut nimis neglecto cultu, invitâ consuetudinis publicæ, vel generis, vel officii vel conditionis ratione, virtutem suam venditet, suumque istud factum excuset verbis illius Gentilis; *forma virum neglecta decet.* Etenim ubi semel pervicaciæ notâ insigniti sumus, inidonei penitus erimus ad convertendas ad Christum animas. Cujus oculos læsimus, illius aures vix reconciliare nobis possumus. Quòd si verò honestè & solenni more vestiri licet, multò minus judicabimus fratres illâ libertate, & veste, utentes, præsertim, cùm, quem habeant suo isti usui præfixum scopum, qui æque bonus ac malus in istius naturæ rebus, esse potest, plerumq; ignoremus. Hæ duæ, quos subnectam, Historiæ à Viro pientissimo, ac simul prudentissimo Theologo, memoriæ præditæ sunt Objurgatam esse aliquando matronam honestissimam à quodã V. D. Ministro, quòd cultiori semper habitu & comptior incederet; respondisse verò eandem, se DEum testem invocare, quòd sibi curæ non sit iste corporis ornatus, saltem ut viro non displiceat, nec bilem moveat, utpote qui sibi istum cultum impe-

imperet, seſe ità ſtudiosè veſtiri. Quæri hîc poſſet, utrùm juſtè an injuſtè egerit iſta matrona? Certè illius ſcopus damnandus minimè eſt. Apoſtolus permittit mulieribus κοσμιότητα, *ornatum decorum*, ſed μετὰ αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης *cum pudore & modeſtia*, h. e. ut illæ omnem in veſtibus ſordiditatem, at ſimul omnem meretricium & illecebroſum cultum, nec non intemperantiam, atque veſtium pretioſitate & pompâ aliorum oculos in ſe convertendi ſtudium, devitent. 1. *Tim.* 2: 9. Deinde, Paſtorem quendam Belgicum, ad quem fœmina quædam accedens, dixerit; mi Domine, ſcandalum mihi ponis, cùm adeò pretioſum & mollibus è pilis confectum pileum geſtas; Alius, qui ſit εὐτελέστερος & vilioris pretii, ſufficere videtur; neutiquam ob id pileum iſtum abjeciſſe, ſed objurgatæ leniter mulierculæ, quòd tàm infirmæ fidei & imprudentiæ ſit, offendaturque rebus, in ſe non malis, regeſſiſſe; Sibi ſtatim dolere caput, ubi graviorem & craſſiorem pileum imponeret, ſeſeque obinde molliore uti, ne ſibi ipſi moleſtiam, imbecillique capiti dolores, faceſſat. Ad tollendam verò omnem ſcandali occaſionem & profuſionem ſubſtantiæ, præſtare viderur, ut ferantur leges veſtiariæ à Magiſtratu, quod feciſſe Tiberium Cæſ. refert *Dion. Caſſius Hiſt. Rom.* l. 7. & c. oppium tribunum plebis, *Livius* l. 34. Hæc volebat, *ne qua mulier plus ſemuncià auri haberet, neu veſtimento verſicolori uteretur.* Quamvis neſciam, an hoc pacto, cuivis Reipubl. conſultum eatur: cùm maximâ contentione illa lex oppia abrogata non tantùm ſit, ſed & Ulpianus ſevero Imperatori legem veſti-

arium paranti, dixerit; id plurimarum rixarum causam fore, si abjecti homines injuriis exponerentur. Notatu interim dignum est, quòd Apostolus velit Episcopum esse κόσμιον, *ornatum*, *compositum*. Quâ voce, citra dubium, omne id significatur, quod in vestitu, gestu, incessu, sermone, & in rebus domesticis, elegans atque honestum est, circa quæ singula Episcopus sordiditatem, rusticitatem, & ἀλαζόνειαν fugere debeat 1. *Tim.* 3: 2. Laudat *Salustius* Catonem, quòd *illi studium modestiæ & decoris erat*. At *Suetonius* de Nerone præfatur, quòd *circa cultum habitumque pudendus fuerit*, sive non servarit in ornatu *pudorem aut modestiam*. Quòd si verò neglecta vestis virum decet, aut ἐυτελεστάτοις *vilissimè* amiciri, virtus est, non solùm David & Salomo modum transiliêre, ubi aureis coronis & pretiosissimis vestimentis cincti leguntur, sed etiam præter fas virtutemque erit, si quisquam, qualiscunque etiam conditionis fuerit, alium, quàm qui ruricolis & mendicis sufficit, crassissimi fili pannum sumat. Paria habet piissimus Perkinsius in suis conscientiæ casibus lib. 3. ubi ex ratione & sacris literis probat, vestes byssinas ac aurum, gemmasque, etiam à piis, cultui adhiberi posse; simul respondens ad objectiones, quas quidam adferunt ex 1. *Tim.* 2: 9. 1. *Pet.* 3: 3. *Ies.* 3: 8. ita tamen ut ratio habeatur generis, conditionis, fortunæ & officii.

Hic Lectorem denuò rogito, nolit mea verba in deteriorem sensum detorquere. Cùm omnibus probis viris superbiam, vanitatem, immodestiam, ipsamque tot repetitarum mutatarumque forma-

formarum circa vestes affectationem & hodiernam novitatum lasciviam, detestor, saltem cum viris prudentissimis docco, posse nos in externis illis rebus, ne videamur singulares, mundo abblandiri, ut ita seculi filios istis ludicris & crepundiis, nobis & salutari nostræ doctrinæ, devinciamus. Aveo nosse, quæ vir Cel. *Jacobus Altingius* in suis epistolis, ad similem quæstionem responderit?

Quod attinet ad locum *Zeph.* 1: 8 uti DEUS comminatur, se visitaturum כל - הלבשים מלבוש נכרי *omnes induentes vestimentum peregrinum*; dicendum est, vel Prophetam loqui, de Pseudo-Prophetis, qui alieno à vulgari consuetudine vestitu amiciri amant, ut ita & veteres vetosque Prophetas veste exprimant, & vulgum in sui admirationem abducant, seseque à reliquis hominibus, tanquam longè sanctiores, distinguant; vel de vanis hominibus, qui alienarum gentium habitum & depereunt & præter patriæ morem gestant, saltem ut supra reliquos populares suâ luxuriâ se efferant. Circa vestium, aliarumque externarum rerum, usum, tenenda illa *Augustini* regula *de Doctr. Christian. l. 3. c. 12. In omnibus hujuscemodi rebus non ex ipsarum rerum natura, quibus utimur, sed ex causa utendi, & modo appetendi, vel probandum est, vel improbandum, quod facimus. Sicut talares & manicatas tunicas habere apud Romanos veteres flagitium erat, nunc autem honesto loco natis, cùm tunicati sunt, non, eas habere, flagitium est: Sic animadvertendum est in cætero quoque usu rerum, abesse oportere libidinem, quæ non solùm ipsâ eorum, inter quos vivis, consuetudine nequiter abu-*

titur, sed sæpè fines ejus egressa, fœditatem suam, quæ inter claustra morum solennium latitabat, flagitiosissimâ eruptione manifestat. Quicquid autem congruit consuetudini illorum, cum quibus vita ista degenda vel necessitate imponitur, vel officio sucipitur, à bonis & magnis hominibus ad utilitatem & beneficentiam referendum est.

Cap. XXVII.

Quæritur, an Prudentia Ecclesiastica permittat, illos reprehendi, tanquam superbos, qui vel longioribus capillis comam alunt, vel apposititijs calvitium dissimulant? Locus 1. Cor. 11: 14.-16. *excutitur. Verba Ambrosii & Piscatoris adducuntur Quas ob rationes veteres plerumque comati fuerint? An & illi indiscriminatim objurgandi veniant, qui lautioribus interdum cibis, vel pulcriore aut pretiosiore supellectile utuntur? Historia Marthæ & Mariæ elucidatur.*

Similis ratio est aliarum rerum indifferentium, quas in politia vel œconomia usurpare solemus; ut adeò necesse non sit, plura speciatim contingere veruntamen, cùm multi circa sequentia cœspitent, non abs re erit, illa contemplari. Nim. quæritur, an illos justè possimus carpere, qui mentitâ cæsarie calvitium dissimulant, vel prominentioribus capillis comam alunt? Verissimum sanè est, quòd sæpè inauditâ causâ damnemus facta aliorum, qui tamen, ubi eorundem scopum, aliasque circumstantias, perceperimus, nobis sunt absolvendi. E. G. Morbo afflictatum est alicujus viri caput, nudatumque crinibus; cur ergò

mederi illi, corporis vitio non liceat? Non proinde statim tali cæsarie appositità utenti, superbiæ nota impingenda, ne postmodum, auditis istius rationibus, cogamur nostri judicii præcipitantiam fateri. Quid quod homini Christiano, si modo non suo honori unicè studeat, permissus sit decens & compositus ornatus? *Ambros. Hexäemer.* l. 6. c. 9. *quàm speciosa Cæsaries! quàm reverenda in senibus! quàm veneranda in sacerdotibus! quàm terribilis in bellatoribus! quàm decora in adolescentibus! quàm comta in mulieribus! quàm dulcis in pueris!* Et Christus ipse dicitur & pingitur fuisse crinibus prominentioribus, juxta descriptionem Lentuli, quam Senatui Romano transmisisse fertur.

Sed objiciunt quidam locum 1. *Cor.* 11: 14. verùm, si oculos mentemque conjicimus in *vers.* 14. 15. 16. deprehendemus, quòd Paulus sermonem suum instituerit, pro usitata tùm temporis inter Judæos & Apostolos consuetudine, & recepto in Ecclesia more. Expressè enim ℣. 16. legitur: *Quòd si quis putat contendere*, & mihi in hac re oggannire, ac si viro non sit dedecori, comatum esse, ℣. 14. scire illum velim, *nos ejusmodi consuetudinem non habere, neque Ecclesias Dei.* Hinc in h. l. *Grotius* ita infit: *Duabus securibus Disputationes amputat, instituto Apostolico, & consuetudine Ecclesiarum, quod per omnes Ecclesias receptum est, disputando velle in controversiam vocare, est φιλονεικων.* Propterea & nos hæc Pauli verba φιλονεικῳ regerere possemus: Καὶ ἡμεῖς τοιαύτην συνήθειαν οὐκ ἔχομεν, οὐδὲ αἱ ἐκκλησίαι τοῦ Θεοῦ. *Et nos ejusmodi consuetudinem non habemus, neq; Ecclesiæ DEI*, scil. ita detonsis, uti

olim tempore Apostolorum, capillis incedere. Appositè *Piscator* in l. c. Pauli: *Hoc videtur referendum ad morem Græcorum, qui tùm erat; nam primus seculis viri ubiq; comati & intonsi videntur fuisse, unde Homerus identidem nominat καρηκομόωντας Ἀχαιούς, capite Comatos Achivos. Romæ demum circa ætatem Africani Superioris, tonsoribus uti cœperunt. Veteres quoq; Germani & Galli intonsi fuisse perhibentur &c.* Circa quæ Piscatoris verba notanda, *primò* quòd Græci à tergo cæsariem promiserint. Hinc *Homerus Il. β. 542.*

Τῷ δ' ἅμ' Ἀβαντες ἕποντο θοοὶ ὄπιθεν κομόωντες.

Hunc simul Abantes sequebantur veloces à tergo comati.

Hinc *Nero* Græcos imitans, *comam semper in gradus formatam, peregrinatione Achaicâ etiam pone verticem summisit. Sueton. Secundò*, quod veteres Celtæ, aliæque Bellicosæ gentes comam aluerint, circum pectora & terga defluentem, ut ita hirsuti & terribili aspectu essent. Hæc causa videtur esse, cur *Job. 5:5. & 18:9. prædo* vocetur צמים, *comatus, hispidus. Tertiò* omnes gentes, & hodierni Sinenses, præprimis antiqui Lacedæmonii, comam nutriebant, ne viderentur servi. Servilibus enim operibus non convenit promissior crinis, ut qui labore & sudore facilè illuvies sugit. *Aristot.* Rhet. 1. Ἐν Λακεδαίμονι κομᾶν καλὸν, *apud Lacedæmonios comam alere, venustum ducitur.* Qui plura desiderat, adeat eximium tractatum Cel. *Salmasii de Coma.*

Eodem modo se res habet cum lautiore cibo & potu. videl. non videntur ex templô acriore censurâ notandi, qui illis aliquando fruuntur, nisi clarè cerna-

cernamus, eos modum omnem excedere. Hîc tamen discrimen aliquod est. Licet enim domi tàm parcâ vivere quadrâ, tenuique foco, quàm natura pati potest, quoniam hâc vivendi parte neminem offendo, neque in aliorum oculos, sicuti cum vestitu, incurro. Quapropter necesse haud est, ut ratione vescendi, potandique, aliorum morem consuetudinemque, quamvis sim ejusdem conditionis ac fortunæ, imiter, nisi graves causæ ac circumstantiæ eò me impellant. Quin certissimum effusi in delicias & Bacchanalia animi indicium esset, si quis & alterius frugalem cotidiè cœnam vitio verteret, & se ipsum ad ambas aures gurgitaret, aut καθ' ἡμέραν *splendidè*, cum illo Divite, *exhilararet*. *Luc.* 16: 19. Sed vice versâ non erit ille condemnandus, qui equidem non singulis diebus, uti ille Dives, (qui, dum cotidie ad poculorum certamina proruebat, se voluptatis mancipium, ventremque numen suum, cui tot tantasque victimas obtulit, esse prodidit:) at suo tempore vel splendentem habet focum, floresque mensæ inspergit, vel saltem opiparis aliquando vescitur. Quis enim omnes circumstantias, quare is lautè nunc vivat, noverit? Forsan, quod edit, dono eidem missum? forsan à medico ita præscriptum? forsan aliud in causa est? quid quod & *ad honorem Dei edere ac bibere* possimus? 1. *Cor.* 10: 31. Nisi dicere velimus, nos non posse Bonitatem Dei in creaturis & donis suis gustare? Quod si igitur fratrem nostrum sequenti modo aggrediamur: *Amice, natura paucis & simplicibus contenta! viliori omaso, atque atro pane, famem pellere posses? modicâ*

olus

olus patellâ sumere fas est! Loco vini, aqua sufficit! Reliquum si quid est, in cellam penuariam reijce, vel pauperibus eroga! &c. facile tùm in ruborem dabimur, ubi sumpti lautioris vel cibi vel potûs causas ac rationes perceperimus. Negari non potest, plurimos hîc peccare, dum palato nimis student, & cuticulam curant. Sed, cùm ex externis hisce probos ab improbis discernere non valeamus, injustum fuerit, omnes eâdem pertica metiri, cùm sic hominum aures animosque à studio nostro, convertendi eos ad fruges, avertamus, & judicii nostri temeritatem prodamus. Et, quando impietatis est, exquisitos aliquando cibos capere, omnes illi crimine tenebuntur, qui unquam alio, præterquàm solido pane & frigidâ, fruuntur, ut quibus corpora nostra nutriri sufficienter possunt. Adeoque videretur Deus frustra vitis liquorem, aliasque terræ dapes, præparasse. Abusus in cunctis removendus, non licitus rectusque rerum usus. *Martha* non eam ob causam increpata à Christo est, quòd singulari & opiparo convivio, quale non singulis diebus familiæ & domesticis suis instruebat, Christum excipere laboraret, sed quòd, cùm tàm temporis duo hæc simul fieri non poterant, scil. & verbum divinum attentè audiri, & lautior cœna apparari (Salvator enim N. non diu uno in loco commorabatur, sed Terram Beneficiis variis, & sermone suo, conspergens, obibat) illum cibum, quem & ad honorem, & ad saturandum Christi stomachum, conteſtandumque suum amorem, tantâ diligentiâ curabat, ei cibo anteponere videretur, qui tamen animam illius

ad

ad æternam vitam enutrire potis, Christique ipsius gratissimus, cibus erat. *Ioh.* 4: 32. 34. Præterea quòd sororem suam à melioti, & magis necessariâ nunc opera & parte abducere vellet. *Luc.* 10: 38 - 42. Ad hæc accedit, quòd Christus & alii Sancti in instructissimis, ad quæ accersiti fuerunt, conviviis sint versati. Rursus noto, gravissima sæpe peccata committi isto regali vestium, mensæ & supellectilis luxu, quarum rerum *περίσσευμα superabundantia τῷ ὑστερήματι defectui* pauperum opem ferre debuisset. 2. *Cor.* 8: 13. Verùntamen quando & scopus, & aliæ circumstantiæ nos latent, quæ vel excusare illud factum, vel in crimen pertrahere aptæ natæ sunt, tùm nominatim illud arguere, imprudentis supercilii, aut temeratiæ pietatis erit. Nullus dubito, quin, si nostrûm quidam illi convivio *Ioh.* 12: 1. - 3. Penes Christum, illiusq; Apostolos, interfuissent, suisq; oculis vidissent, Martham non tantùm magnificam mensam apparasse, sed & Mariam sumsisse (1) unguenti *νάρδου πιστικῆς πολυτίμου* (quid sibi velit vox *πιστικὸς* vide *Binaum de cruce Christi*) (2) integram libram (3) fractoque vase eleganti (4) non in caput Salvatoris, sed in ipsius pedes, quibus aqua, juxta istiusmodi hominum sententiam, sufficisset, effudisse; Quin, inquam, cum discipulis idem illud indignabundi susurrassent, quod legimus *Marc.* 14: 4. 5. *Quorsum perditio ista unguenti? potuisset illud plusquàm trecentis denariis*, seu 37. & dimidii thaleris, *venisse, datumque esse pauperibus!* Et sanè, nisi persona, in quam pretiosissimus ille liquor effusus est, intuenda foret, meritò hoc factum *ἀπώλειαν, perditionem*

tionem, vocaremus. Adeoque circumstantiæ rei faciem mutant; quas si ignoramus, præcipitare judicium velle cum Juda Iscariote, vitio non vacabit. Philosophorum regula nos docet, eò usque dubitare, h. e. judicium suspendere, donec rem clarè & distinctè intellexerimus. *Error opinando, non dubitando, venit. Ovven. in Epigr.* Justissimè ergò discipuli Jesu vapulant, postquam præcociori sententiâ Mariam prodigalitatis arguissent: *Mittite eam*, Christus illis ait, *quid ei molestiam facessitis*, & vestro judicio eam confunditis? *Bonum ea opus*, suâ effusione, *fecit*, peccavitque neutiquam, ut vestra est opinio Circumstantiæ loci, temporis, & personæ, pro ea loquuntur. Et scopus optimus est. *Mox enim cùm sim funerandus, ea præoccupavit corpus meum pollincere. Pauperes semper apud vos habetis, quibus, quandocunque volueritis*, & circumstantiæ postulant, *beneficia exhibere potestis*; alio tempore illorum curam suscipite; *me verò*, quem supremis nunc officiis colere debetis, *non semper habebitis*, uti pauperes, corporali modo præsentem. *Marc.* 14: 6. 7. *Ioh.* 12: 7. 8. Audiamus in. h. l. celebratissimi nostri commentatoris verba: *Non improbat Christus honores. Ipsi sanè maximo omnium, debebatur impensa ingens, imò quicquid homo est & habet. At Christus accepit pro honore funerationis. Deus suppeditat omnia affatim; neque tantùm vult nos vivere, sed &* NB. *robore uti, & commodè ac eleganter vivere, & propterea laborare, ac bonum opus facere, ut nihil nobis desit, & alijs prodesse, atque etiam honore dignos honorare possimus. Tantùm omnia cum gratiarum actione accipiamus, &*

ita

ita simus ab animo instructi, ut, quibus uti possumus, iis possimus etiam carere, & iis non confidamus, neque affixi simus, vel gaudeamus ut bonis nostris. Ex quibus verbis patet, non statim conjici debere hominis illius fastum, luxum, & vanitatem, qui & ad decus, & ad commoditatem, aut recreationem, quippiam possidet, præsertim si non immemor pauperum sit, sed utrâque manu egestatem illorum soletur.

Cap. XXVIII.

Hic agitur de quartâ Prudentiæ parte, viz. Cautione, quæ removendis impedimentis occupatur. Impedimenta, quæ Prudentiæ nostræ Ecclesiasticæ obicem ponunt, sunt plerumque, vehementior Pastorum animi fervor, vita eremitica aut monastica, importunior Neo-Christianorum Juniorumque pastorum, zelus, inscitia, & præjudicia mentis, Timon Athenienſis notatur. Locus 1. *Reg.* 19: 11. 12. *evolvitur.*

III. TAndem ad Tertiam partem devenimus nimirum impedimenta, quæ Prudentiam nostram sæpissimè sufflaminant. Illis autem è medio tollendis apprimè servit: Quarta Prudentiæ pars sive species, scil. *Cautio*, seu Prudentia præcavens. Solent autem illa impedimenta non tantùm à parte aliorum, sed & nostra, exoriri. quæ proinde, tanquam tot remorantes nostrum iter lapides de semita sunt devolvendi. Speciatim Prudentiæ nostræ adversantur.

(1.) Vehementiores & fervidiores animi passiones, quales sunt, *metus, amor, morositas, ira, odium.*

Metus

Metus in pusillanimis summè noxius est, facitque, ut illi, qui facilè consternuntur, nullum captandarum animarum lucrum Ecclesiæ promittere possint. Nimium pavent illi aliorum excandescentiam aut indignationem, odiumque. Hinc suum talentum atque luminare subter modium abdunt. Generosus Christiani hominis animus deberet esse, non quærere, nec nimium pavere pericula. *Loquar de testimonijs tuis coram Regibus, & non pudebit me.* Psalm. 119: 46. Et nimius in cognatos vel cognitos impios *amor* Prudentiæ nostræ officit: Nimium addictus erat David filio Absalomo & Josaphatus rex pius, Ahabo. Justo majus erga alios studium in causa sæpè est, cur eorundem scelera, vel non videamus, vel non verberemus. Plurimùm verò Prudentiam infestat inhumanum supercilium, seu *morositas*, tristioris temperamenti filia, senibus præsertim & melancholicis familiaris. *Sunt morosi & anxij & iracundi & difficiles senes.* Cic. Est illa morositas non dissimilis crepitaculis aut exuviis pecudum, quæ aves non alliciunt, sed abigunt. Quantopere morositate suâ ab homine abiverit Timon Athenienſis Philosophus, prophana historia narrat. Is nullius hominis consortio usus est, præter Alcibiadis. Et aliquando in forum progressus, omnibus admirantibus, quid istâ rei novitate vellet, significavit, sibi post ædes arborem esse, de qua multi se suspendissent; cùm verò sibi staret sententia, illam arborem cædendi, rogare se, ut si qui essent, qui vitam in ea finire vellent, id quamprimùm facerent. Istiusmodi μισανθρωπία inimicissima est in

Pruden-

Prudentiam Ecclesiasticam, nec ullo modo conciliari cum ea potest. Similiter exundantior *ira* eorum, qui levi scintillâ inflammantur, magnumque ingnium facilè susciatorum fumum spirant, omnem spem sacri quæstûs perdit. Qui ne ullum verbulum leni animi mansuetudine proferre possunt, sed merâ bile perfusum pectus gestant, sibi temperare aliisque indulgere nescii, lucrifaciendis τοῖς ἔξω inidonei existunt. Habebunt illi singulis noctibus, quod tanquam imprudenter interdiu factum, multis lacrumis expient. In ipso animi æstu, quòd peccent, nesciunt, sed sibi redditi, imprudentiam suam cernunt. Ut rectè *Juvenalis*;

. . . . . quid fas,
Atque nefas, tandem incepit sentire peracto
Crimine. . . . . . .

Illiusmodi iracundi statim cum Petro gladium stringunt, & omnes illos acerbiori modo vulnerant, qui pro voto eorum non agunt. Atque, cùm modesto gestu, verbisque sequentibus uti debeant; *Mi amice, ignosce liberè consulenti, monentique; mihi istud, quod agis, parasque, indignum videtur. Tutius esset, id omittere &c.* Contrario planè modo, mutatoque gestu, clamitant: *non scelus, fimetumque, perditissime fili, Latro iniquissime, adulter, orci victima! Exuisti omnem pudorem, probrum! non effugies supremi diei judicium, severaque Dei manus! Mancipia Satanæ sunt, qui paria patrant! &c.*

Notari meretur, quod occurrit 1. *Reg.* 19: 11. 12. Cùm Deus zeloso Phrophetæ Eliæ apparere vellet, *ventum vehementissimum* præmisit, *qui montes perrumperet, & petras perfringeret*, sed

Jehova in vel cum *eo vento non fuit. Post ventum terræ motus extitit, at Jehova in* vel cum *terræ motu non fuit. Post terræ motum ignis aderat, in* & cum *quo Jehova non fuit.* Tandem *post ignem spirabat* קול דממה דקה, *LXX.* Φωνὴ αὔρας λεπτῆς, *sonus ventuli tenuis*, atque cum & in hac aura leni Jehova accessit. Tametsi cum aliis dicere nolim, voluisse Jehovam hisce docere Eliam, zelum ipsi⁹ impetuosiorem & fervidiorem justo esse, quo peccatores sine mora & expectatione resipiscentiæ extinguere, eoque velut rapido vento distrumpere, aut velut terræ motu sepelire, aut tanquam voraci flamma absumere illos velle videatur: nihilominus aperto satis sensu docemur omnes; Deum non delectari, nec adesse rabiei nostrorum affectuum, aut commotioris pectoris igni, sed *pretiosum coram eo esse, spiritum mitem ac tranquillum.* 1. Pet. 3: 4. Adeoque naturam, lenitatemque ipsius imitari nos oportere. Tandem etiam *odium* adversus alias Religiones & opiniones, si novercale & temerarium est, cum Prudentia nostra haud concinit. Quidam omnes aliorum in Religione sententias ad gehennam mittunt. Nihil ferunt, nisi quod sui approbant. Profectò Deus longanimus multos errores & defectus in nobis tolerat. Neque ulla Religio tam perfecta hactenus forsan est, ut suos nævos non patiatur. In veteri Eccl. Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Tertullianus, Chrysostomus, Origines &c. non consonarunt circa omnia, neque tamen tàm crudeliter sese mutuò anathematibus confixêre. Quidam tàm multi sunt in enumerandis articulis fundamentalibus, quibus odi-

odium ſuum inveteratum alunt, & alios à ſeſe longius remotos reddunt.

(2) Ingens quoque Prudentiæ noſtræ obſtaculum eſt vita monaſtica & ſolitaria. Non enim Prudentiam iſtam exercere poſſunt, qui cum nullis hominum aut cum ſolis ſanctis, verſari contendunt, Eſſæorum, Phariſæorum, Monachorum, Anabaptiſtarum & Labadiſtarum more. Prudentia iſta, quam Chriſtus ſingulis demandavit, non tam occupata eſſe amat circa ſe ipſam, vel alios ſanctos, qui Chriſto jam lucrifacti atque capti ſunt, quàm præcipuè circa extraneos, & improbos convertendos, vel ſaltē non ſcandalizandos aut temerè irritandos. Οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ὑγιαίνοντες ἰατροῦ. ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες. *qui benè valent non opus habent medico, ſed qui malè ſe habent. Luc. 5: 31.* mirari licet, quòd iſtiusmodi homines, qui non niſi cum ſanctiſſimis commercium jungere, neque ſuum luminare coram aliis ſed ſibi ſolis accendere volunt, non ſiniſtrè interpretentur illud Chriſti cum publicanis & inſignibus peccatoribus convivium & conſuetudinem. Non laudo illorum temeritatem, qui poſthabita ſuî, aliorumque ratione, in ſodalitia impiorum indiſcriminatim ſe imergunt, ut illis non diſpliceant, atque propterea illorum vitia vel palpant, vel ſaltem non reprehendunt; quò fit, ut peccatores iſti in malo magis magisq; radicem agant. Hi impingunt in expreſſa loca *1. Cor. 5: 11. 2. Theſſ. 3: 14.* ſimiles illis audaculis, qui fallaci præſumptione, nullâ adhibitâ curâ aut medicinâ, in ædes, peſtilentiâ infectas, pedem inferunt. Intonſæ oves, quæ ſub horridis denſisque dume-

tis pascua sequuntur, multum lanæ relinquant, oportet. Possumus ergò in impiorum consortia descendere, ubi non omnis spes faciendæ frugis abscissa est, sed cum cautela & sacra medicina, aut panoplia Dei, præsertim cum clypeo fidei & veræ pietatis, atque cum gladio sacræ Prudentiæ, ut ita illo omnes tentationes, quibus petimur, excutere, hoc verò alios vincere, & Christo subigere, queamus. Verè fideles prudentesque cum lupis, ululare non discunt, neque tanquam graculi graculis assidere avent, sed ut lupos, graculosque naturam de doceant, ipsorum commercium aliquando tolerant. Ut longissimè ab Ecclesiastica Prudentia recedat illa solitaria Timonis vita, & Epicuri decantata sententia; λάθε βιώσας! *vivito clanculum*!

(3) Magnum etiam detrimentum adfert Prudentiæ nostræ effrænus & indomitus Neo-Christianorum, Juniorumque Pastorum, zelus, qui plerumque nondum satis sunt edocti discernere nigrum à candido, malumque à bono, & quippiam hoc vel illo tempore aut loco bonum & licitum esse, quod alio malum aut illicitum fieri possit. Hinc, & quia munus recens occupavêre, fidemque dedêre, sub signo Ducis Christi contra mundum fortiter eundi, & hostes vincendi, non eunt, sed ruunt, non tàm hostes vincunt, quàm obvios quosque, etiam amicos, sternunt, omnes illos pro inimicis Christi, pro irregenitis, pro gehennæ filiis, cœcâ ratione habentes, qui quicquam committunt, quod apud improbos mali speciem præ se fert, aut cujus finem ac rationem, ali-

aliasque circumstantias ipsi ignorant. Nullus Prudentium piorum est, in quem ensem non acuant, innocentissimos persæpè invadentes. Deo gratum & acceptum esse opinantur, si rectâ semper viâ, nunquam diverticulo utamur, quamvis prior & periculosa & multis damnis ac dumis obsita sit; h. e. si nunquam post carecta deliteamus, nunquam ponderemus, utrum hoc illudve, hoc vel illo tempore omittere an committere utilius sit, sed malo semper obviàm fiamus, sed omnes semper perstringamus, sed omnia sinistrius semper interpretemur. Quin eis hypocritarum & Pseudo-Christianorum nomen adspergunt, quos vident secum nolle esse temerarios, sed cuncta mentis piæ lance perpendere, interque res bonas, ac malas, nec non adiaphoras, ingens discrimen ponere. Nihil istiusmodi piis novitiis justum videtur, nisi quod imprudentis zeli consilio patratum est. Romanos Censores longo post sese intervallo relinquunt, rigidâ in plerosque authoritate & censurâ promti, in clementioresque *Catone*, de quo *Livius Hist. lib. 39. c. 41: candidati omnes tristem censuram, periculosamque multorum famæ, & ab laso à plerisque & lædendi cupido, expectabant.* Pientissimus Isaacus, ubi cum uxore sua Rebecca ludit, inculpatus ab iisdem non abibit. *Gen. 26: 8.* ut cum Hispano *Graciano per Amelotum* translato loquar; *Ils éxagérent tout si fort, que des atomes ils en font des poultres à crever les yeux. Leur humeur seroit capable de convertir les champs Elisiens en Galéreau contraire, l'ingenuité interprete tout favorablement, si non l'intention, du moins l'inadvertence*

Non corripimus zelum, sed quod nimium est in zelo. Præstat tamen zelosiorem esse, quàm tepidiorem. Et, ut superius annotavimus, pii plerumque, non in defectu, sed excessu peccant. Interim fervidior illa pietas comparari potest præstanti juventâ & celeritate, sed intractato equo, qui quum fræni impatiens sit, per dumos ac saltus, non sine periculo insessoris, aliorumque, effertur, aut rostratæ navi, quam non Prudentia gubernat, sed acrior animi motus in saxa latentia, proximaque litora, aut in vicinas naves, non absque damno & jactura, impellit.

Cap. XXX.

Reliqua Prudentiæ Ecclesiasticæ impedimenta, scil. insscitia, & præjudicia, adducuntur. Post verbum DEI, etiam exterarum nationum mores ac cerimonias nosse, & ut noscas, in alias terras excurrere, expedit Japoniorum mores è diametro nostris adversantur. Locus Phil. 4: 8. exponitur. Tristitiæ secundum DEum non prorsus adversatur lætitia animi, quæ in os erumpit. An Christus Iesus nunquam riserit? Erasmi de urbanitate Socratis judicium. Rintelensium de nobis. Alia.

(4) Omnis Imprudentiæ mater, & veræ Prudentiæ inimica, insscitia est. *Primò* insscitia verbi divini; absque cujus cognitione sufficienti, cautè ambulare nescimus. Rudes & imperitiores hominum, etiamsi in genere voluntatem DEI quodammodo noverint, jejuni nimis sunt, ad venandas captandasque animas. *Aut* enim nauseam illis creat, quicquid occurrit, sæpè etiam quod vel bonum

bonum in se, vel saltem indifferens est, Quâ difficultate non lucrantur extraneos, sed in tete adigunt, etiam piissimis aliis molesti fiunt. *Homine imperito nunquam quidquam injustius; qui, nisi quod ipse facit, nihil rectum putat. Ter. Adelph.* Aut omnia, tanquam bona, admittunt. Cuncta suo assensu comprobant, nihil reprehendentes, nihil, quod alii vel committunt, vel omittunt, cordi ducentes, adeòque nec salutem proximi satis curantes. *Secundò* inscitia indolis & ingenii hujus illiusve hominis, qui cum conversaris. Sæpè quæ his oblectamento, illis fastidio sunt. Aliquibus Tua humanitas, adulationis fraus; & eloquentia, garrulitas, &c. videtur. Istiusmodi hominum discendum prius ingenium, quàm quicquam inchoandum. *Tertiò* inscitia morum & ceremoniarum; agendi, scribendi, loquendique consuetudinum civilium, quæ vel apud populares, vel apud exteros, usu valent. Hæc inscitia frequentissimè causa est, cur homo optimus parum apud mundanos, carnalesque, proficiat. E. G. Si Germanus quidam ad alios populos abiens, juxta Germanorum tantum mores ac ritus sese formaret, brevi tanquam homo singularis, pertinax, plumbeus, incivilis ac superbus, odio & ludibrio exponetur. Persæpè enim id, quod civilitatis apud nos officium est, apud alios rusticitatis aut arrogantiæ signum erit. Apud nos, aliosque, moris est, viro digniori dextram, tanquam potiorem, partem cedere, si cum eo foràs progrediar. At si illum morem ubique terrarum, civilitatis studio, velim prosequi, superbire videbor. In Italia enim & Anglia ac alibi, sinistra ali-

quando potior est. Et, cùm apud nos sal, & cerebrum, apponere hospitibus, partim æquum, partim honestum videatur, apud Italos turpe est, convivarumque ludibrium habetur. Japonii in suis civilibus, publicis ac privatis, ritibus non tantùm à nobis differunt, sed penitus inversi, mutatique sunt. Equos illi non à læva, sed à dextra conscendunt. Nos amicum salutaturi, caput nudamus, illi crepidas & calceos exuunt. Visitanti nos assurgimus, sedent illi. Nos in reos duriora verba mittimus, illi erga omnes mollia &c. Ubicunque autem pro homine rustico & inurbano, aut arroganti, ducor, nihil frugis referam. Quos enim lucrifacere, illis nullo modo displicere, oportebit. Unde manifestò appareat, quantùm expediat, ad alias nationes & terras proficisci, atque sic earundem mores, ceremonias, consuetudines, ac propensiones discere, ut ita illorum animum subire, & omnia omnibus fieri possis. *Ad connectendas amicitias tenacissimum vinculum, morum similitudo. Plin. l. 4. Ep. 15.* Verum equidem est, quòd Perditus filius sæpè nihil aliud ab exteris, quàm eorundem vitia & scelera reportet;

Sive trans altas gradiatur Alpes,
Cæsaris visens monumenta magni,
Gallicum Rhenum, horribiles & ultimosque Britannos. *Catull.*

At nemo res bonas ac utiles rejiciat, eò quòd flagitiosi homines iis interdum abutantur, & veluti araneæ ex odoratissimis floribus venenum exugant. Mali hujus causa, seu, quòd plurimi *qui trans mare currunt*, in proprios penates, luxum, lascivos mores, & mensarum, vestiumque petulantiam, & temera-

meratam religionem, adducant, ipsis interdum parentibus debetur, qui non in viis Domini, aut timore DEI, gnatos suos, sed in omni licentia educatos, cum prima lanugine, aliarum gentium illecebris corrumpendos magis, tradunt. Hujusmodi cereus adolescentulorum animus veluti tabula rasa est, ut ita cum aliis loquar, enormia quæque flagitia facilè admittens.

Atque propterea nemo aptus magis est, ad prudenter ambulandum coram τοῖς ἔξω extraneis, quàm is, qui pietati ac Prudentiæ, Divini verbi, nec non peregrinorum morum ac rituum notitiam junxerit. Hoc enim modo sibi æque probos ac improbos devincire potest, & ab utrisque amorem laudemque demeretur. Non aliena, ab hac nostra, est Pauli sententia *Phil.* 4: 8. *quod reliquum est, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque honesta, quæcunque justa, quæcunque casta,* ὅσα προσφιλῆ *quæcunque amabilia,* seu accepta, h. e. quæ non hominum iram, sed amorem & benevolentiam invitant, qualia sunt, mansuetudo, facilitas, frons serenior, morum castigatorum humanitas, gestus urbani, animus lenitate patientiâ & obsequiis mactus; ὅσα εὔφημα, *quæcunque bonæ famæ,* h. e. quæ non sunt digna acerbioris linguæ flagellis, sed quæ nomen virtutemque nostram per aliorum ora ac sermones dispergunt. *Eccl.* 7: 2. *Si quà virtus, si quà laus* ex quadam re elicienda est, ταῦτα λογίζεσθε, *hæc perpendite.* Commentator noster, probatissimus ob soliditatem author, in hunc versum hæc scripsit: *Sunt quædam bona, quæ etiam mundus non ignorat, quæ æstimat, quæ affectat videri*

habere. Ea quoque filii Dei debent λογίζεσθαι & animo volvere, ut eorum non sint expertes. Sunt ea sanè ut folia Psalm. 1:3. & distinguuntur aliquo modo à fructibus; quia talia etiam in infrugiferis & sterilibus reperiri aliquatenus possunt: atque ita per ea non cognoscitur arbor bona propriè, quemadmodum illa ficus, cui Christus maledixit. Marc. 11:13. Nihilominus tamen etiam illa pertinent ad bonitatem arboris. Neque enim propterea, quòd externa (quæ & gentes & hypocritæ habent) non ostendunt arborem bonam, sed alia, quæ sunt proprius earum fructus, ideò eis carere, ostendit arborem frugiferam, q. d. Arborem, quæ foliis caret, esse meliorem eâ, quæ folia habet; quod non ita est. Adsunt igitur etiam illa fidelibus, sed & plura & meliora adsunt fidelibus, quàm hominibus irregenitis, & spirituali vitâ carentibus. Ut nemo justam causam habeat, dicendi, eloquentiam tersosque mores, ac concinnos gestus vitæque comitatem, & alia, eapropter piis & fidelibus dedecori esse, quòd mundus eadem sectetur, aut proram & puppim in iisdem constituat.

5. Restant ultimi Prudentiæ nostræ, sed infensissimi hostes, præjudicia mentis, seu dogmata & opiniones nullo fundamento nixæ. Cum enim vera Prudentia primogenita Rationis sanæ filia sit, à nulla alia re, inexpiabili magis odio dissidet, quàm ab opinionibus Parenti suæ, Rationi, adversis, vel à Judiciis eandem antevertentibus. Quò autem quis pluribus ejusmodi præjudicatis opinionibus ducitur. damnatque criminis, quod vel ipsa virtus, vel medium inter virtutem vitiumque est, eò plus damni inferet cœlorum regno, cujus ampli-

ampliandis pomœriis Prudentia noſtra operam navabit. Etenim cùm talis mentem adeò præcipitet, & non tantùm ipſus adiaphorarum quarundam rerum uſu abſtineat, ſed & Chriſtianam aliorum circa easdem libertatem malè vertat, ſæpiſſimè & ſcandalo impios & mœſtitiâ fratres impediet: quâ vitâ pietas & Chriſtiana religio non leve detrimentum capit; quæ ſuprà fuſius demonſtravimus, ut hîc finem imponere noſtræ opellæ poſſimus. Verùm pauca, quæ hûc ſpectant, adjiciamus.

Non pauci fideles frigidam hanc ſecum ſententiam ferunt, peccatum eſſe, ubi animus in lætitiam manifeſtiorem, aut hæc in riſum, ſolvatur; adduntque, non poſſe nos ſatis deflere, neque longiori juſto mœſtitiâ deteſtari peccata noſtra. Quò trahunt loca iſta *Matth.* 5: 4. *Luc.* 6: 25. *Iacob.* 4: 9. *Eccl.* 7: 3. - 7. *Eſa.* 65: 13. 14. 18. Sed ſciendum eſt, in locis citatis partim agi, de improborum hominum vitulanti vita, & perpetuis gaudiorum tripudiis, partim de exuperanti feſtivitate, & immodica intempeſtivaque lætitia, quæ pias animas, æque ut aliæ infirmitates, ſubinde inceſtant. Prius eſt connexum cum amore mundi, & homines perditiſſimos, atque voluptatibus immerſos, arguit. Poſteriùs, quùm ratione modi, aliarumque circumſtantiarum, vitium induat, meritò quoque in quibusvis, ipſis etiam piis, corripitur, eique mœſtitia ſpiritualis, quæ eſt ſecundum Deum in locis citatis antefertur. Non verò, quaſi æternâ mœſtitiâ ſubigendus foret animus, aut nullo modo liceret, mentem laxare, & gaudium exteri-

teriore gestu testari. Frustra alioquin Apostolus nos jussisset *lætari semper. Phil.* 4: 4. 1. *Tess.* 5: 16. Ubi enim, partim eâ de causâ hilaritate perfundimur, quòd nomina nostra, tanquam filiorum Dei, exarata in cœlo extent, partim, quòd ex aliis rebus gratia Dei nobis affulgeat, tùm uno eodemque temporis momento tristitia spiritualis, cùm & in lætantibus mentis nostræ operationibus & cogitationibus, consistere atque hærere non potest; Sed, veluti nimbus cum splendidiore cœli facie, ita tristitia secundum Deum, cum piæ mentis exultantia subinde commutatur, & altera in alterius locum alternâ vice succedit. Verùm, ajunt, licere quidem nobis, gaudio esse permulsis, at merè spirituali; Sive, licere gaudium capere, sed in ipso solo spiritu, & è re spirituali; non autem probum esse illud gaudium, quod in exterius organon desinat, & in os erumpat; Nostrumque Salvatorem sæpius spiritu lætatum & sæpissimè flere, nunquam ridere, visum. Resp. Hæc profectò miram Theologiam & Philosophiam redolent! quare non liceat lætari re terrenâ & corporali, cùm tamen eandem à Deo rogare non sit nefas? Neq; Christus absolutè omne gaudium, quod non nascitur ex consideratione boni nostri spiritualis, rejicit *Luc.* 10: 20. sed jubet μᾶλλον χαίρειν, *potius lætari* bono spirituali. Quod si etiam *gaudere cum gaudentibus* oportet, ut flere, cum flentibus, opus erit, ut ex externo ore gaudium istud colligere possim, æque ac flentium fletum. Nec concipere queo, quo pacto quis ita ἀγαλλιᾶσθε τῷ πνεύματι *Spiritu exultare* possit, ut nullatenus & nunquam

quam externâ facie prodatur. Tàm arcta enim corporis & animæ unio est, ut anima patiatur à corpore, & corpus ab anima, atque illa agat in hoc, & hoc afficiat illam. Hinc ubi tristitiâ obruimur, statim flaccescit facies, palloremque sumit, remeante ad mare microcosmi, videl. cor, sanguinis flumine, & prodeuntibus lachrymis; quin totius corporis gestus ad tristitiam erit formatus. Simili modo, quando anima nostra gaudium concipit, illud statim in vultum emittitur, ubi spiritus animales singularem masculorum motum, quem risum nuncupamus, efficiunt. Non aliter ac animi pudor, quem malarum, sanguine suffusarum rubor evulgat. Fateor equidem spiritum aliquando ita cohibere gaudium ac tristitiam posse, ut non semper in lacrumas & risum abeant. Verumtamen vix animus conceptum gaudium aut mœrorem ita potest comprimere, ut in nullo corporis membro appareant, aut facie aliud ostendatur, sub pectore aliud coquatur. Cum Christus *Luc.* 10: 21. *spiritu exultaret*, quis hoc discipulis indicarat, nisi explicatior Christi vultus, qui plerumque animi secreta loquitur. Externi autem corporis motus, qui in potestate nostra non sunt, nec boni nec mali dici queunt, sed pro animi interno actu vitium aut virtutem referunt. Ut pietati non obfuturum sit, quanquam statuamus, Christum risu, per totum vitæ tractum vix abstinuisse. Alicujus morositatis id fuisset, cùm tamen sciamus, fuisse hominis filium humanissimum, & penè omnibus arrisisse singulari suâ comitate. Quòd si unquam extiterunt, quos ἀγελάστους dixê-

dixêre, quales ferunt fuisse *Anaxagoran* Clazomenium, Philosophum, & omnes illos, qui in antrum *Trophonij* in Bœotia oraculorum causâ, descenderunt, ut scribit *Volat. l. 13. anthrop. c. 3. & Ælian. de var. Hist. l. 8.* naturæ vitio vertendum erit. Et licet *de M. Crasso, Lucilius* memoriæ prodiderit, eum per totam vitam semel tantùm risum edidisse, nempè quando asinum vidit carduos comedentem, *quòd similes haberent labra lactucas. Cic. Tusculan. quæst. l. 3. & Erasm. in Adag.* exinde tamen apparet, homines tetricæ admodùm indolis, aut quibus causa perpetuæ tristitiæ suppetere videtur, facultatem ridendi retinere, & in risum levi de causa aliquando resolvi, *Lucianus* ipsos Inferos & Plutonem ait ea, quæ in terra fiunt, ridere. Si autem alicui libet gradus ponere in risu, ita, ut motio musculorum in vultu, infimus; levis verò asperæ arteriæ concussio, superior; Sonorus denique, & discisso ore sublatus, cachinnus, supremus sit, per me licebit. Christus saltem omnibus animi passionibus fuit. Æque, ac reliquis humanæ naturæ proprietatibus, indutus. Quis ergò concipiat, eundem in Juventutis vere, quô cuncta nobis gratulari videntur, & quò ipse grave ministerii onus, docendique munus, nondum in humeros sustulerat, inter ludentium puerorum choros, aut dulces parentum amplexus, alieno semper vultu adstitisse, & ab omni ridentis specie procul abiisse? Quamvis enim S. Scriptura haud memoret, Christum unquam risisse, propterea ne id negabimus, cùm tamen modò non omnia quæ in Juventute, & multa, quæ in virili

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn792504542/phys_0198
DFG

rili ætate peregit, silentii supparis involvantur? Sed demus, Christum nunquam ridere, aut lætari, semper autem flere visum. Istiusmodi Salvatoris gestus non erit nobis regula; Quoniam ipse in nostram pœnam, locum, ac tristitiam est surrogatus, ut ansa perpetuæ lætitiæ, etiam in hac vita, nobis præberetur. *Phil.* 4: 4. 1. *Thess.* 5: 16.

Nemo eorum est, qui hodiernos hominum mores diligentius contemplantur, qui non facilè deprehendat, eò ventum esse, ut homines melancholico sanguine torpentes, etiamsi eorum animus à multis intestinis vitiis, & præprimis avaritiâ atque fastu depascatur, probè pii, & triste ipsorum temperamentum, sincerum peccatorum odium esse, videantur. Cùm tamen pietas animi hilarioris, profundioris sæpè radices atque fundamentum egerit. Audiamus, quæ *Erasmus Epist. Nuncupat. Adag. præf.* habeat: *ne id quidem, ait, vitio dandum existimo, risu nonnunquam relaxare animum modò risus sit argutus ac liberalis. Hæc enim non mediocriter faciunt ad vitæ comitatem. Xenocrates Philosophus ingenij fuit tristioris, vir alioquin magnus, sed hunc Plato subinde jubebat litare gratijs. Zenon Stoicus Socratem ob perpetuam sermonum urbanitatem Scurram Atticum solet appellare, nullus tamen est, quin fateatur, NB. Socratem utroque sanctiorem. &c.* Non negamus, Risum quendam in vitio poni posse; quin id asserimus damusque, illum sæpenumerò, si scil. illiberalis, intempestivus, immodicus, & perpetuus sit, certissimum vanitatis, securitatis, aut insanæ mentis Indicium esse. Hoc tantum monet Prudentia,

tia, ne temerè fugillemus aliorum risum vel sales, præsertim, ubi causas ac circumstantias ignoremus: Deinde, ne nos ipsi tristi supercilio atque rugarum nube oculos nostros obducamus semper, sed jucundum humanitatis jubar è vultu nostro subinde emanare sinamus, ne homines impii eò opinionis adigantur, ac si vera Dei religio pios cultores ab omni hilaritate abstineret & longè remotissimos esse juberet. Ipsi sanè pictores, pietatem Virginis simulacro adumbrant, quæ est attentæ in cœlum sed & lætæ, frontis. Præstaret alioquin eandem ita depingere, ut fuscâ veste & squalido sacco sese contegeret, ac linteolum abstergendis lacrumis, faciei obtenderet. Meritò obinde conqueritur vir Θεολογάτατος D. Undereik *Hallel.* p. 341. Es machen die Schwachglaubigen durch ihre Bekümmernuß und unordentliche Furcht/ ja fast muthwillige Trostlosheit/ das Christenthumb bey den natürlichen Menschen verhasset/ als wäre es ein trauriger Zustand/ da doch sonst bey ihnen die Ursach der wahren Freude unaussprechlich ist. 1. *Pet.* 1: 8. Et hæc piorum quorundam intempestiva mœstitia, causa fuisse videtur, cur olim diu in Germania hoc diverbium fuerit auditum: *Spiritus Calvinianus est spiritus Melancholicus.* Ne quis verò hîc nobis ogganniat, doctrinam Reformatorum de gratia & prædestinatione, homines in mœstitiam & propè desperationem conjicere; in illius gratiam ex *Heideggero* maximi nominis viro, adducemus verba *Lutheranorum Rintelensium*, sic p. 40. scribentium: *Contrarium docet experientia. Neque enim plures in Reformatorum*

matorum, quàm in noſtris reperiuntur Eccleſiis, quæ vel in ſecuritatem ferantur præcipites, vel ad deſperationem triſtes adigantur - non alienâ hæc narramus fide. Sæpè aurium experimentis didicimus, ſic populum apud Reformatos, *erudiri, ſic ſecuros excitari, ſic ad deſperationem inclinatos, & quaſi jacentes, erigi, audito ne verbulo quidem, quod vel ad deſperationem, vel ad ſecuritatem, movere animos poſſit &c.*

Atque adeò nimis indulgere aut mœrori, aut hilaritati, non licet. Procul eſto hîc à ſacris, & *Democritus* nimium feſtivus, & *Heraclitus* nimium triſtis, ſeu, ut verè dictus eſt, σκοτεινὸς *obſcurus.*

His, quæ modò diximus, non abſimilem naturam habet conſuetudo illa, quâ in alterius ſanitatem, poculum ſumo, vel ſternutanti fauſta precor &c. Naſturtio opus eſt illis, qui hæc & ſimilia innoxia, procul à Chriſtiana gente ablegande eſſe contendunt. Quamvis enim illi ritus à gentilibus originem trahant, non tamen amplius gentiles ſunt, ſed in Chriſtianos civilesque mores adoptati tranſierunt. *Burmann. 2. Reg. 4: 35.* Alia verò ratio eſt illorum rituum, quos à ſacris Ethnicorum, ad ſuam ſcenam quidam transferunt.

M Clau-

CLAUSULA.

EX his omnibus, quæ satis diduxisse videmur, ad oculum claret, hominem Christianum non debere esse contentum solo sincero pioque animo, sed & eundem exornare & instruere Prudentiâ illâ quam hactenus, præeunte Christo, inculcavimus. Pietas equidem comparari potest cum opulenta navi, quæ onusta auro & gemmis ex Ophir in portum provehitur, sed quam à nauclero, Prudentiâ, regi oportet, ne in scopulum offensionis, aut syrtes, ac periculorum vortices, incurrat. Anima sincera, instar Reginæ in throno considentis, suâ ipsius virtute, vitia, & concupiscentias domesticas propulsare novit, sed intuitu exterorum hostium, opus habet consultrice intimâ, nempe providâ Ratione. Vel eadem similis est elegantissimæ venustatis virgini, quæ sese Prudentiâ, tanquam pretiosâ veste, cultam magis reddit. Cœlestis mentis probitatem non ineptè annulo contulerimus, ex quo circumspectio velut nitidissimus adamas effulget; vel lautissimo cibo, quem sapientia, tanquam aroma, grato sapore imbuit; absque illo, annulus foret vilis, & absque hoc, cibus insipidus. Egregiè Cherubinorum in V. T. forma Prudentes Christianos adumbravit. Illic enim juxta vitulinos bisulcosque pedes, & alas aquilinas, nec non leoninam faciem, etiam os humanum prominebat; ut significaretur, in verè fidelibus N. T. civi-

T. civibus, Constantiam, fidem, fortitudinem, & Prudentiam, tanquam quatuor gratias, fore sibi junctas. Et quod Mythologi, vel Græcia mendax, de Argo fabulantur, quòd scil. totus oculis, centumque luminaribus, unde παναόπλης dictus est, circumdatus pelluceat; id apprimè in pios prudentesque convenit, qui etiam oculatissimi sunt, & circumspicere, providere, discernere, & cavere norunt. Olim Prophetæ appellabantur *Videntes*; id omnium Sanctorum virorum est, & videntes eos esse oportet, & Prophetas, animo futura præsagientes. Tuncia quoque illa Pontificis in V. T., quæ Hebræis dicitur כתנת תשבץ, Belgis aliisque intrepretibus, *tunica ocellata*, eò quòd opere Phrygionico & tessellato, intextis ocellis erat distincta, Regale sacerdotium maximè decet, *corpusque nostrum totum lucidum esse debet, Matth. 6: 22.* Aut, si mavis, Magni Calvini symbolum nobis omnib⁹ adsciscendum est, *promptè & sincerè*! vel potius alius Theologi illud: *Piè & prudenter!* Quicunque ergò Christiane homo fueris, non tantum in pectore atque animo Tuo τὰ *Thummim* seu sinceritatem repostam habere expediet, verùm etiam τὰ *Vrim*, seu lucem & Prudentiam. Non autem sufficit ad Christianæ vitæ perfectionem alterutrum. Prius enim, seu probæ mentis fidelitas, ubi fuerit absque altero, nimirum circumspectione, frequenter nomen divinum in ignominiam, proximum in scandalum, nosmet verò in discrimen ac damnum adducet. Tametsi enim argutam claramque vocem tollere queam, at canendi, symphoniæque imperitus

sim; quando cum aliis cantum miscere, ac sonum modulari, necesse erit, non harmoniam, sed in conditam atque absonam vocem fundam. Ubi verò pietati Prudentiam associavero, tum *gradum bonum acquisivi* mihi 1. *Tim.* 3: 13. & Deo, hominibusque acceptus, illius gloriam horum, cum ea, salutem lucrabor, atque tandem, ut *Epicteti* phrasi utar, ἄξιος τῶν Θεῶν συμπότης καὶ συνάρχων, *dignus* DEI *convivа ac Regni consors* ero.

FINIS.

MEDITATIONVM ORTHODOXARUM ET PARADOXARUM DECAS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn792504542/phys_0205
DFG

INDEX

Meditationum Paradoxarum.

I.

Non damnandi indiscriminatim omnes, qui in actu alicujus peccati, citra specialem ejusdem pœnitentiam, moriuntur.

II.

Primis cœpti Christianismi seculis, non minus vitiorum, nec plus fidei, aliarumq; virtutum fuit, ac nostro ævo.

III.

Difficile, si non impossibile est, differentiam dicere ejus, qui in infimo gradu pius est, ab eo, qui in infimo gradu impius est.

IV.

Patres V. T. ante consummatum sacrificium hilasticum J. C. non videntur in cœlum, h. e. ad consummatissimam perfectissimamq; vitæ conditionẽ, admissi, sed in statu quodam medio, ad mortem & ascensionem J. C. usque, retenti.

V.

Gentiles omnes, & qui J C. non cognoverunt, atq; adeò uti nec aure, sic nec fide, acceperunt, damnare velle, nostrum non est. Circumstantias quoque ultimi Judicii omnes uti nec novimus, ita & illas, quas sacræ literæ pandunt, forsan minus benè explicamus.

VI.

Sanctissimus quisque, è vita migraturus, mortem aliquantulum horret.

VII.

Optimo cuiq; qui vel ita sibi, vel aliis, videtur, desit sæpè occasio peccandi, aut temperamentum fervidius, ex cujus absentia malè colligimus, nos bonos esse.

VIII.

Quâ ratione vel Te, vel alium mediocris pietatis Christianum, commodissimè solari, & salutis certiorem reddere possis?

IX.

Quicquid fit, aut futurum est, DEUS ita decrevit. Cum cujus aterno decreto non pugnat seria reproborum vocatio. Nec omnia, quæ nobis videntur, DEO sunt contradictoria. Quidam ita ubivis disserunt de DEI decretis, ac si nulla nobis esset libertas, & quidam de libertate, ac si nulla DEI in nobis esset operatio aut gratia.

X.

Plausibile est, Christum, ante ultimum & universale Judicium, singulare regnum in hac terra, quod altâ pace, abundantiâ & justitiâ florebit, cæpturum, & ad illud omnes populos ac gentes vocaturum; quarum autem vocatio atque conversio non solâ Evangelii prædicatione, sed & præcedenti aliquo insigni miraculo, promovenda videtur.

Me-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn792504542/phys_0208
DFG

MEDITATIONUM ORTHODOXARUM ET PARADOXARUM DECAS.

I.

Non damnandi indiscriminatim omnes, qui in actu alicujus peccati, citra specialem ejusdem pœnitentiam, moriuntur.

PLurimi Theologi definitivè pronuntiant, sed præcipitanter nimis, eos, qui in actu peccati diem supremum obeunt, damnatos fore, hucque trahunt illud Christi *Joh.* 8: 21.24. ἀποθανεῖσθε ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ ὑμῶν (1) verùm justo rigidiór illa mihi sententia videtur, & Christus dicto loco hoc tantum velle, nimirum, Judæos ab infidelitate & odio in Christum ac Christianos, non destituros, & propterea à Romanis occisos iri. (2) quis enim definiverit, quale quantumque peccatum illud sit, quod hominem damnet, si cum aut in illo, citra specialem pœnitentiam, vitâ defungatur? Cùm nullus fidelium sit, qui non cum & in multis ita dictis, defectibus, fide & charitate infirma, impatientia, prece non satis ardenti,

&c. moriatur. (3) Adeoque infidelitas indurata, impietas continua, & pervicax, est, quæ damnet, etiamsi is, qui illis studet, eo momento, quo deceditex hac vita, in actu quodam singulari hujus vel istius peccati à morte non fuerit deprehensus, Vice versâ quando quis fidelis est, cordis integri, animæque sinceræ, quamvis vitam finiat in ipso aliquo gravi peccato, desperanda ejus salus non est, (4) ut hac ratione verum non sit, quod dicitur: *Deus judicat, ut in extremo vitæ articulo invenit:* plectit enim tunc sæpe corpus, ut servetur spiritus, & *judicat in carne, sive secundum carnem, ut vivant in Spiritu secundum dominum* 1. *Pet.* 4: 6. Sic de uxore Lothi, filiis Aaronis, aliisque multis, citâ morte, & divinâ quasi manu, sub veteri fœdere, oppressis, censendum esse duco.

Tu noli judicare alienum famulum, qui proprio Domino vel stat, vel cadit! & ne cadas ipse cave!

II.

Primis cœpti Christianismi seculis, non minus vitiorum, nec plus fidei aliarumque virtutum fuit, ac nostro ævo.

PLerique opinantur, primis Ecclesiæ Christianæ seculis, plus fidei, sinceritatis

tis charitatisque, minus verò vitiorum, inventum. At autem, si excipiamus inchoati Christianismi, seu Apostolorum, tempora, nec non illos dies, quibus sæviit in Christianos Cæsarum & Gentilium crudelitas, næ, semper prævaluit naturæ corruptio. Piissimos Patres & sanctissimos Præsules, quos ita ætas nostra judicat, & quorum capitibus pictores nostri radios addunt, iracundiæ, livoris, immodesti Zeli, superbiæ, plenos video. Hinc se facile super alios voluerunt elatos, hinc levi de causa damnarunt alios, hincque perpetua partium studia, rixæ, concilia in conciliantia, declamationes, &, si per Cæsares, eosque vel gentiles vel Christianos, licuisset, mutuæ persecutiones. Equidem multa piè ab ipsis dicta, sed & à nobis, multa egregiè facta, sed & à nobis. Neque diffitendum, nostra vitia graviora esse, quia doctiora, non quod mundus corrumpatur magis ac magis, sed quòd crescente scientiâ, æque vitia ac virtutes crescant; Adeoque nostra fides, charitas, modestia, Zelus æque doctiores, magisque fundati sunt, ac Illorum. Et sanè quando Spiritus Sanctus promittit posterioribus ævis pleniorem cognitionis mensuram, cur non & sanctitatis, cùm voluntas intellectum sequatur? Nec obstat, quod

mediis

mediis seculis, in medio Papatu, velut in Ægyptiacis tenebris, neutrum obtinuerit, neque ullius penè cognitionis aut sanctitatis structura videri detur. Non autem injustè excepi illa Apostolorum & persecutionum tempora; Ratio hæc est: Apostolorum ætate vivebant vigebantque viri pietate & miraculis excellentissimi, quorum jubare præstricti cæteri, & victi, facile ad rectam semitam ducebantur, neque potenti istorum sanctitati adversum ire malis moribus audebant, ne veluti Ananias & Sapphira mortui conciderent, neve peccati in Spiritum Sanctum rei fierent, quod peccatum in Spiritum Sanctum, propriè ita dictum hodie vix committi puto, cum miracula cessent, quibus Spiritus Sanctus olim hominum animos, æque ac prædicatione verbi, convincebat.

Tempore vero Persecutionum, tanquam noctu, homines ad pietatis, Zeli, charitatisque officia, magis proclives fuerunt, quàm ubi dies, pax & fortuna, affulgere visa est, quoniam tunc morti propinqui, nihil volebant pietatis omissum. Hinc tanta in egenos, ægrotos, captivosque largitio, oblationes & Agapæ &c.

Accedit, quòd putarent diem Judicii & resurrectionis præ foribus esse, quapropter sine

sine difficultate promebant, quod retineri longiori tempore non liceret. Neque obstat, quod legimus *Apocal.* 2: 4. *Matth.* 24: 12.

Tu, quia adultiora secula attigisti, fac vir sis in Christo, & omnem cognitionis & pietatis infantiam relinque!

III.

Difficile, si non impossibile est, differentiam dicere ejus, qui in infimo gradu pius est, ab eo, qui in infimo gradu improbus est.

Dic mihi quæso, quâ ratione differant illi duo, quorum alter in infimo gradu fidelis aut pius est, alter autem in infimo gradu infidelis & impius, & tamen talis revera est? quorum ergo prior, quoniam fidem & pietatem, licet minutissimam, habet, beandus erit, posterior damnandus, quoniam ἀπιστίαν & impietatem, licet etiam minutissimam, & ab alterius minutula pietate, vix lato ungue, distantem? quòd si pietas minutissima differret ab impietate minutissima, quemadmodum aurum minimi pretii ab argento, aut alio metallo, summi pretii, facile esset, dicere differentiam. Verùm differt ista ab hac, quemadmodum res quædam vera & sincera, à mentitia, aut tali, quæ proxime accedit ad veritatem

ritatem & sinceritatem alterius. Certè, minimo impius & minimo pius in vicinitate constituti sunt; nam non duo tantùm, vel tres, inveniuntur pietatis vel impietatis gradus, sed vel centum vel plures, cùm sint fideles, *quibus Deus quingentas*, & alii fideles, quibus *Deus quinquaginta denarios remittit*, *Luc.* 7: 41. quando ergo tot pietatis & impietatis gradus dantur, minimo impius videbitur Pharisæo bonis moribus instructo, aut Senecæ & Epicteto similis esse, & sic pio similimus. Quid ergò facit, ut uterq; tamen differat, & alter fidelis, alter impius & infidelis habeatur, hic damnandus, iste salvandus? Respondè, eos vix à seipsis dignosci posse, multo minus ab aliis, sed à solo Deo, qui, quis ultimus pietatis vel impietatis terminus sit, accuratè dijudicare, & vel remunerari vel punire, sciet. At forsan *sinceritas*, quæ *Perfectio* in sacris literis dici amat, *minimam* etiam pietatem *perfectam* reddit coram Deo misericordiarum, ut à regno DEI, quamvis non procul, absit, à quo abest cordis sinceritas, seu integritas; nec pius habeatur is, licet legem externam à Juventute servarit, qui amore suo varius est, & cordis duplicis. Sed hoc unum addendum, quòd is, qui minimo pius est, sinceritatem suam ob cotidianos

nævos,

nævos, errores, concupiscentias carnis, nondum prorsus excisas, vix exploratam habere possit, uti nec is in sinceritatem suam, qui quamvis mores castigatos amat, minimo-tamen impius est.

Contendamus ergò ad perfectionem, & ut inter filios Dei eximiâ pietate emineamus! atque sic ex multiplici testimonio, sinceritatis salutisque nostræ simus certi!

IV.

Patres V. T. ante consummatum sacrificium hilasticum Jesu Christi non videntur in cœlum, h. e. ad consummatissimam perfectissimamq; vitæ conditionem admissi, sed in statu quodam medio, ad mortem & ascensionem Jesu Christi usque, retenti.

QUæritur utrum Patrum V. T. animæ ad plenam cœlestis gloriæ fruitionem admissæ sint ante mortem Jesu Christi, an verò in medio quodam statu eò usque retentæ sint? non paucæ profectò rationes sunt, quæ suadent posterius.

1. Sic enim Deus Israëlitis non concessit eas N. T. prærogativas & Bona, quæ nunc beneficio mortis Christi possidemus, quare, dic quæso, concesserit omnium Bonorum ἀκμὴν & summam? nempe vitam, quie-

quietem, justitiam, cognitionem, consummatissimam?

2. Et cum sint, qui ajunt, quòd DEus per τὴν πάρεσιν non ἄφεσιν, seu *connivendo* non *plenè remittendo*, condonarit Israëlitis peccata, quòdq; hi eo modo non possint dici justificati, ac nos sub N. T. quare gloria cœlestis illismet obtigisse dicetur, quæ *justitiæ* Christi, nos justificantis, & merces & finis, & *corona* est?

3. At, ubi ad typos, atque umbras V. T. advertimus, res plana erit. Quid enim velum illud ante Sanctum S. notabat, quod tempore mortis Christi ruptum est, quàm hactenus *non patefactam fuisse viam* ad gloriam? confer *Hebr.* 9: 6-12. 10: 19, 20.

4. Hinc est, quod Israëlitæ *sine nobis non consummati*, seu ad consummationem promissionum perducti, dicantur, *Hebr.* 11: 39. 40.

5. Item, quòd *Beatitudo nunc nobis sit propinquior, quàm cùm eam sperabamus*; quapropter etiam status ipsorum *spei* vocatur, non *Rei*, & de morientibus in Domino jam scribitur; μακάριοι οἱ ἀποθνήσκοντες ἐν κυρίῳ Ἀπάρτι, A nunc, seu sub N. T.

6. Ex qua causa factum, ut circa mortem Christi multi Sanctorum resurrexerint, vitamque receperint, intraturi citra dubi-

um,

um, cum adscendente Christo, omnium *Præcursore & Prodromo*, in ipsam gloriam.

7. Facit quoque huc, ultima ex furca pendentis vox; *consummatum est*, & quòd Salvator, Apostolos Solaturus de abitu suo, dixerit: *abeo ad Patrem, paraturus vobis locum. Ioh.* 14: 12. qui locus demum sacrificio Christi, item resurrectione & ascensione, quibus Deus sacrificium Filii sui ratum fecit, paratus est.

8. Hæc etiam ratio est, quare Israëlitæ mortem tantopere abhorruerint, longævamque vitam, ac Messiæ adventum, cujus ope eluctari possent in ipsam Beatitudinem, expetiverint.

9. Jamque scis, cur in V. T. parcè fiat mentio beatæ æternæque vitæ, in N. autem T. frequentissimè?

10. Huc militat significatio vocis *Scheol*, toties in V. T. pro statu & loco mortuorum usurpatæ, qui est status & locus *oblivionis, delitescentiæ, silentii*, in quo loco & statu, utpote in ipsam gloriam nondum recepti, *non erant laudaturi Deum*, quemadmodum queruntur *Psal.* 6. & 30. &c.

11. Neque obstat, Eliam & Henochum sub V. T. in cœlum susceptos; nisi dicere velimus, & hinc infringi, quod Apostolus ait, *omnibus constitutum esse semel mori.*

Hebr. 9: 27. Cùm duo isti viri pientissimi mortem non gustarint. Extraordinarius illorum in cœlum raptus spem fecit Israëlitis fidelibus futuri olim in gloriam introitûs, qui illismet hoc modo obsignatus fuit.

12. Prætereaque cordi non ducendum, quòd Pontificii non dissimilem Limbum habeant, in quo Patres collocent. Præterquam enim quòd illi nesciant, quid dicant, quando de loco aliquo certo animarum, in quo veluti clausæ obtorpuerint, loquuntur, etiam veram rationem ignorant, propter quam Deus aliter cum pristinis Israëlitis egerit, aliter cum nobis.

13. Quid quòd nostrâ sententiâ prorsus concidat opinio veterum Ecclesiæ Christianæ Patrum, putantium, & jamnum sub Novi fœderis gratia piorum animas subter cœlo agere, & futurum judicium expectare, infantulosque baptismate non tinctos extra Paradisum errare? quod certè pugnat cum τῷ δικαιώματι & Justitiæ Christi jure, siquidem *unicâ nunc suâ oblatione Sanctos suos* τετελείωκε, *consummavit*, & ad perfectionem gratiæ & gloriæ traduxit *Hebr.* 10: 14.

Non tamen inficias iverim, difficulter responderi posse ad *Hebr.* 2: 10.

Quic-

Quicquid sit, Tu, quia patefacta nunc est ad cœlum via, cupe solvere, & esse cum Christo, πολλῷ γὰρ μάλλον κρεῖσσον!

V.

Gentiles omnes & qui Iesum Christum non cognoverunt, atque adeò, uti nec aure, sic nec fide, acceperunt, damnare velle, nostrum non est. Circumstantias quoque ultimi Judicii omnes uti nec novimus, ita & illas, quas sacræ literæ pandunt, forsan minus benè interpretamur.

QUando tot cultûs divini modos, tot religiones, quibus Ens Summum colere studeant mortales in quatuor orbis Terrarum plagis, quæque propemodum infinitæ sunt, perpendo, atque video, quòd earundem Religionum studiosi, omnes dissentientes atq; heterodoxos minus ament, eorundemque, quem Deo ferunt, cultum, sincerè, & cum Zelo, falsitatis arguant, suam θρησκείαν καθαρὰν καὶ εὐάρεστον Deo esse firmiter credentes; Et rursus, quando ab altera parte cerno, omnibus omnium Religionum studiosis & cultoribus de hoc uno convenire cum aliis omnibus, nempe, nihil magis gratum acceptumque esse Deo, quàm pietatem seu amorem in Deum &

in homines; quando, inquam, Hunc magnum dissensum, & hunc uniformem consensum, perpendo, tùm in diversum agitur mea mens, ut, quid judicem, nesciam, nisi quòd fortean Deus pro infinita sua sapientia omnes istas Religiones, ac cultus varios, toleret, veluti tot varios & ludentibus coloribus flores in campis, quorum quidam & minus boni odoris & coloris equidem sunt, nihilo secius ad perfectionem variationis & ordinis, cæterorumque elegantiorum commendationem, nec non divinæ tùm sapientiæ, tùm misericordiæ, gloriam & laudem, pertinent; quemadmodum ante paucos annos Rex Siami legato Regis Galliæ, religionem Romano-Catholicam suadenti, prudentissime respondisse fertur. Etenim, cùm varietas in mundo materiali summus decor sit, cur non & in mundo intellectuali? Sed ajas, fides in Jesum Christum tantum salvificat! Resp. (1) Verissimè; sed eos, quibus Evangelium annuntiatum est. Apostolos autem in Americam, aut in omnes Africæ angulos, penetrasse, nullum Ratio vel Scriptura vestigium ostendit. (2) eos, qui adulti sunt. Nam infantulos fidem habere posse, vel semen fidei (nisi per semen fidei intelligant potestatem, aliquando, ubi adole-

adoleverint, credendi) illorum est asserere, qui, quid sit fides, quid Judicium, & uno verbo, quid dicant, nesciunt. (3) Ut sic Deus non sit damnaturus propter τὴν ἀπιστίαν eos, qui fidem, vel ob defectum annuntiationis Evangelii, vel usurpationis Judicii, habere non potuerunt. confer quæso Joh. 9: 41. & 15: 22. quæ sententia quoque fuit pientissimi Baxteri, τῶ νῦν ἐν ἁγίοις; (4) Sed an eos gentiles, qui, quæ legis internæ sunt, fecerunt quantumlibet, justificem, beandosque credam? nescio, quid statuam. Hoc opinor, Deum in ultimo Judicio aliter judicaturum, sortesque mixturum, ac nos plerique putamus, citra ullum tamen vel veritatis suæ patefactæ, vel justitiæ, detrimentum. Fortassis non resurrecturos dixeris, nisi tùm Scelestissimos tum Sanctissimos, aut, si & medii, & qui in infimo gradu pii vel impii fuerunt, resurgent, quod asserit ille locus Pauli 1. Cor. 15: 22. ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκουσιν, οὕτω καὶ ἐν τῷ Χριστῷ πάντες ζωοποιηθήσονται, erit & his quoque vel sus honos, vel onus, vel dilatio, vel spatium & mora, vel pœna, εἰς τοὺς αἰῶνας in seculcula, non in omnem æternitatem duratura. Nihil horum affirmo, quia nec Ratio, nec Scriptura, prælucet; Saltem hoc dico,

probos ad æternam gloriam, malos ad pœnam, resurrecturos, sed & plerosque ultimi Judicii, & adventus Christi, circumstantias ita eventuras, ut miraturi simus, tam concinnè omnia impleri, quæ sacræ paginæ prædixerunt, & tamen omnia, aut saltem plurima, aliter accidere, atque nos ex interpretatione propria istarum Prophetiarum, opinati fuimus; ad quam sententiam me impellunt *cùm ea*, quæ circa adventum suum, ad Judicium in Judæos exercendum, Christus est vaticinatus *Matth.* 24. *& Luc.* 21. quæque ut plurimum improprié intelligenda, non tantum de isto ipso ad Judicium in Judæos & Hierosolymas, adventu, verum & de extremo adventu ad Judicium universale; *tùm ea*, quæ circa primum Christi in carnem & hunc mundum adventu contigêre; ubi ne unus, ex omni Judæorum Gente, vel ex Sanctissimis fuit, qui Christum ita, uti venit venturum sciverit atque expectarit. Natus est ex stirpe Davidis, sed tùm temporis trunca & emortua, pristinique decoris oblita; Bethlehemi, sed ὡς ἐν παρόδῳ & latenter. Sedit in throno Davidis, verùm impropriè, & ut Rex Justitiæ. Pacem attulit, sed Spiritualem, medios licet inter armorum strepitus. Liberavit Israëlem ab omnibus inimi-

inimicis, at non omnes sunt Israëlitæ, qui ita dicuntur, nec omnes illi intelliguntur hostes, quos hostes nostros esse censemus, & à quibus verus Israël liberatus est. Abrahæ semen oportebat esse, & ex virgine editus est, celante mysterium Josepho sponso &c. &c. Hinc infans cœlitus monstrabatur Simeoni, *Luc.* 2: *25. 26. 27.* & adultus Johanni Baptistæ *Ioh.* 1: 33. qui aliàs non cognovissent Dominum gloriæ, quoniam, cum omnibus populi Israëlitici Doctoribus, prophetias, de circumstantiis adventûs Christi loquentes, non benè & feliciter interpretati fuerant. Interea autem quàm commodè & concinne omnia impleta sunt, quæ prædicta? ne apex restat, qui complementum suum non repererit, in vitâ licet Doctorum Israëlis tùm temporis Theologiâ didacticâ, & locis communibus.

O profunditatem Divitiarum & Sapientiæ & cognitionis Dei! quam inscrutabilia sunt ejus judicia, & imperveſtigabiles viæ ejus!

VI.

Sanctissimus quisque, è vita migraturus, mortem aliquantulum horret.

MOrs, utcunque eam contemplor, & quâ etiam parte, horrenda videtur,

Equidem vis & venenum ejus morte Christi sublatum est, ut nocere piis amplius non possit: veruntamen non cessat esse horrenda, cum destruat dulcissimum animæ comitem, corpus nostrum, & illam separet ab eodem, atque, utramque nostri partem multis dolorbus, qui mortum & mortem comitantur, adfligat: quod omne peccatorum nostrorum stipendium & divinæ iræ indicium est, quemadmodum omnes reliquæ afflictiones, quarum mors finis, sed & summa, & caput est, qua de causa mors *ultimus* piorum *hostis* dicitur. Atque hinc discis, quare in N. T. Deus dicatur aliquorum fidelium, qui de vita periclitabantur, & solicitè angebantur, esse misertus, eosque restituerit? *Phil.* 2: 27. quid quòd ipsi Dei filio ita mors visa sit? dices, ita visam esse, quia portabat peccata nostra? verissimè tu quidem, sed cur non & læto illam vultu contemplabatur appropinquantem, cum etiam sciret, propter justitiam se se post triduum resurrecturum, & omni gloriâ coronandum? At verò mors ipsi, tanquam homini, exosa erat. Quapropter reor, non posse adeo simpliciter dici, Israëlitas sub V. T. solos horruisse mortem, quamvis forsam plus horruerint, ac fideles sub N. T. nec id absque ratione, quam

quam meditatione quartâ tetigimus.

Perpende, quæso sequentia.

1. Naturam non esse extinctam in Optumis nostrûm.

2. Circa mortis horam nos præterita peccata in memoriam revocare, quamvis eadem sint per Christum expiata.

3. Tuncque recordari nos tot concupiscentiarum, infirmitatum, omissionum, passionumque immodicarum nostrarum, licet nobis exosarum.

4. Et simul exactissimi futuri Divini Judicii.

5. Oberrare etiam tum temporis circa memoriam nostram Sanctissimos Christi mores, ad quos exigere nostros debuissemus.

6. Ad hæc omnia accedere dolores corporis, qui animum non leviter saucient.

7. Quorundam etiam fidelium mortem ab ipsismet aliquando accitam, hoc vel, illo inconsiderantiæ peccato, nimiâ excandescentiâ aliisve affectibus vel defectibus 1. *Cor.* 11: 30. qualis mors ipsis non ingrata esse non possit.

8. Neminem eò usque sanctificatum, quem non frequenter, multò magis eâ horâ, quâ tentationes omnes confluunt, suspicio subeat insinceritatis fidei suæ,

Quæ cùm ita sint, planum est, vix ullum reperiri, qui, quando mors præ foribus est, non optet diutius vivere, si optio detur. conf. *Joh.* 21: 18. Nisi lubeat excipere, *primò* ignorantissimos, quos latet omne illud, quod menti & memoriæ aliorum circa horam mortis ocurrit; *Secundò* Senes, quos debilis corpusculi tædet, quique, quòd sedatiores animi motus percipiant, nec toties, uti in præterita Juventute, offendant, placatiorem quoque Deum credunt! *Tertiò* viros admodùm pios, quorum mens cœlum cotidie haurit, & quibus Deus vitæ terminum, & propinquam gloriam, indubiis signis indicavit, sicuti Apostolis.

Cui sententiæ non videtur adversari historia martyrum quorundam, quos, ceu tripudiantes, ad mortem contendisse legimus: Multi enim eorum externo isto genere, quod jam jam retulimus, fuisse dicendi sunt. Neque me de ista sententia dimovet, quod Augustinus de quodam Ecclesiasta memoriæ prodidit, mortem extimescente; apparuisse nimirum eidem Angelum, formam Juvenis indutum, atque dixisse: *Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis?* Etenim non negamus, peccato non vacare, cùm mortem minus prom-

promptâ & pacatâ mente admittimus, nec nisi inviti auscultamus voci Patris nostri, quâ nos de statione nostra abire jubet.

Tu proinde damna, quæ in Te est moriendi τὴν ἀνεξοιμόθητα & impromptitudinem, Deumque perpetuis precibus fatiga, ut sanctâ alacritate, quâ in occursum lethi efferaris, Te instruat! Interea verò animum non desponde, quòd eam, quam à Deo flagitas, alacritatem non habeas, mortemque aliquantulum extimescas! Sufficit, Te vitam amare, non propter mundum aut ex mala concupiscentia!

VII.

Optimo cuique, qui vel ita sibi vel aliis videtur, defit sæpè occasio peccandi, aut temperamentum fervidius, ex cujus absentia malè colligimus, nos bonos esse.

QUicunque se, suamque vitam, studia, mores, propensiones, cogitationes, actionesque crebrius ac propius exanimaverit, videbit, se se iisdem vitiis & concupiscentiis deditum, quæ alioquin reprehendit in aliis. Quoties carpimus hodie, quæ cras committimus ipsi? Servorum pigritia,

gritia, obmurmurationes, animusque non contentus, nobis displicet, & tamen si uteremur eadem sorte, æque desides, obmurmurantes, querulique ac minus contenti essemus. Quoties, rogo, siniſtra cogitamus & loquimur de præfecti aut Judicis alicujus sententia, & δοξοδοκία, cujus loco si nos essemus pari modo vel corrumperemur ab aliis, vel conniveremus amicis, vel promoveremus τὰς συγγενεῖς & noſtro solo natos, atque quod jam grande piaculum est extenuaremus diligentissimè, ratiunculis multis quæsitis. Accusant Reformati & Lutherani in humanitatem & intolerantiam Pontificorum, Arminiani, Sociniani, Anabaptistæ &c. Reformatorum & Lutheranorum: Sed vereor, si, qui alteros accusant, horum loco aut superioribus viribus, forent, ne alteris pariter non parcerent, à quibus nunc sibi parci contendunt. Occasiones malè faciundi carentia, jam multorum pietas & tolerantia est. Ipsi athei, qui tolerari enixè cupiunt, vehementissimo Zelo coquuntur, alios in suam sententiam trahendi; qui si summâ rerum potirentur, vim conscientiis infligerent. Ex eodem fonte oritur, quòd multæ uxores non sint adulteræ, multi non sint fures injusti, ebrii; occasio videl. deest. An

ergò

ergò justificabimur ex omissione peccatorum? aut pro Sanctis sumus reputandi, quia nobis aut vires aut occasio peccandi defuit?

Quandoque etiam mitius natura & frigidius temperamentum nobis indidit, unde non similiter in lasciviam, ebrietatem, cædes, iram, prolabimur, ac alii, quibus præcordia fervidiori sanguine uruntur, num autem propterea Sanctiores illis sumus?

Ut vel hinc liqueat, quantum tempus & labor impendendus, ubi perspectam Sanctimoniæ nostræ veritatem, sinceritatemque habere velimus!

VIII.

Quâ ratione vel Te, vel alium Christianum mediocris pietatis, commodissime solari, & salutis certiorem reddere, possis?

VIx decimus, dicam centesimus, ex iis quorum est solari alios, eisque salutis certitudinem persuadere, aptus est ad id officii genus. Multi putant, & putantur, quod officio isto eximiè sint defuncti, ubi ingentem dictorum ex scriptura farragi-nem protulerint, iisque aures & animum alte-

alterius oppleverint, quamvis nullâ vel ordinis, vel interpretationis, vel personæ, quæ consolanda est, habitâ ratione, satis ipsis est, allegasse multis verbis sequentia, & plurima alia dicta: *Ita Deus amavit mundum &c. &c. Ioh.* 3. *Verus sermo est, & omni acceptione dignus &c. &c.* 1. *Tim.* 1. *Non habeo complacentiam in morte peccatoris, &c. &c. Ezech.* 33. *&c. &c.*

Sed mitte alios! Tu verò, mi anime, si Te ipsum solatio mulcere velis, & salutis non incertum relinquere, postquàm, & quod malum, & quod in Te Bonum est, æquâ lance ponderasti, deprehendistique, Te mediocris esse & fidei & probitatis, quæ putas adhibenda esse argumenta?

1. Equidem non incommodè feceris, ubi perpenderis Bonitatem Entis Infiniti, Eaque Scripturæ loca, quæ istam affirmant.

2. Quorum locorum, dictorumque illud ex palmariis esse videtur, quod habet Epistola ad *Hebr.* 11: 6. ubi Apostolus negat, Deum frustra velle quæri, aitque *esse remuneratorem quærentium ipsum*, cui respondet illud dictum Christi *Ioh.* 6: 37. Atqui, mi anime, Tu enixè *quæris* Deum, & supplex *venis* ad Jesum Tuum.

3. Sed simul perpende & mirare summam

mam Jesu Christi φιλανθρωπίαν, candorem, amorem, facilitatem, quâ usus est erga eximios peccatores, latrones, fures, adulteros &c. ante omnia intuere illam peccatricem *Luc.* 7: ut admissa, ut contra Simonem defensa, ut solatio perfusa est? Certè, si Jesus Christus in Terris esset, Tuque ad ipsum contrito corde venires putasne Te iri admissum? aut au pejor nunc tua sors, cùm Ipse in cœlos receptus sit?

4. Attentus esto, quæso, ad mellitissima ista verba Salvatoris Tui, quæ legis loco jam jam citato: v. 47. *Multa ejus peccata remissa sunt, nam dilexit multum; cui autem paululum remittitur, paulnlum diligit.* Quod axioma Christi firmatur exemplo Petri & Pauli, quorum uterque multum dilexit, quia utrique multum remissum est.

5. Atque etiam operæ pretium fuerit, considerasse innumeram mortalium, ab initio mundi ad Tuam ætatem usque, multitudinem esse & fuisse, qui Deum nec noverunt, nec amarunt, nec quæsiverunt, quos Tu, & cognitione, & amore, & quæstione Dei, superas, & quorum conditione proinde Tua longè melior est.

6. Inquire propius in plurimorum Chri-

Christianorum, vitam, mores, sermones, actiones, invenies, eos ab Ethnicis nihilum differre, sensumque boni aut mali vix habere: Tu verò anime mi, Deum desideras, & ut Christum imiteris, votis omnibus cupis, damnas, quoque, quas in Te cernis concupiscentias, horresque, quæ patras, peccata, aut saltem, si facis, num sint peccata, dubitas, & circa minutissima subinde hæres, utrum eadem prohibita, an licita sint, anquirens. Quin paratus es, omnem vitam, substantiam, & honorem, mundumque universum, cum vera pietate, & integro in Deum & proximum amore commutare; Cur ergò Te non pientiorem & beatiorem duxeris illis?

7. Quid quod & pientissimi Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, aliique in primitiva Ecclesia, qui nunc dicuntur Sancti atque Beati, Cypriani, Origenes, Athanasii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi &c. non paucis & paulis nævis fuerint conspersi?

8. Inspice tandem propinquius eorum vitam, mores, desideria, sermones, qui pii audiunt, & in vivis sunt, quos Tu summè æstimas, ac longo pientiores Temet credis, cernes subinde immodicæ iræ, cristæ, invidiæ, obtrectationis, phi-

lau-

lautiæ, inebriationis, aliquid, argentique aliquam cupidinem, (non dico avaritiam, à qua vir bonus semper alienus est) aliaque imperfectionum & vitiositatum, quas vel optimi non dedicere prorsus, indicia.

Hæc Tu si accuratè trutinaveris, mentemque tuam Dei pietatisque sincerè cupidam esse nôris &c. quietus esse poteris!

IX.

Quicquid fit aut futurum est, Deus ita decrevit. Cum cujus æterno decreto non pugnat seria reproborum vocatio. Non omnia, quæ nobis videntur, Deo sunt contradictoria. Quidam ita differunt de Dei decretis, ac si nulla nobis esset libertas, & quidem de libertate, ac si nulla Dei in nobis esset operatio aut gratia.

ÆTernitatem, infinitatem, præscientiam, ac independentiam Dei consideranti, pronum est colligere, Deum ab æterno decrevisse omnia ea fieri, quæ fiunt & futura sunt; nec dissentiunt sacræ literæ: Ab altera verò sparte, ubi contemplor Dei bonitatem, audioque, Deum vel-

le reprobis æque atque probis verbum salutis prædicari, concludo, quòd illos pariter ac hos sincerè vocet sanctosque salvosque cupiat, quamvis ista duo vi rationis meæ conciliare non possim. Utrumque enim verum est, & quòd Deus æternus & independens sit, omniaque pro voluntate & sapientia sua in eo ordine constituerit, quo cuncta nunc eunt volvuntur, & volventur, & quod nihilominus homo liber sit; sive quòd omnia & necessariò à nobis, aut circa nos ab angelis, & tamen liberè fiant. Quomodo autem utrumque verum sit, non video, quia mentis meæ capacitas finita est, Deus autem videt, qui utrumque mihi patefacit, & cui, quod mihi contradictorium esse videtur, contradictorium non est. Atque sic utrique peccant, tum illi, qui circa prædestinationem aut gratiam divinam, aut reprobationem, discipulis & auditoribus prodendam, ita operosi sunt, ut de bonitate sinceritateque Dei, ac libertate nostra dubitationi locum relinquant; tum etiam illi, qui nil nisi libertatem crepant, Dei præscientiam æternitatem, independentiam ac gratiam negligentes. Priores vix docere possunt, quâ ratione actiones nostræ præmio vel pœnâ dignæ sint! Posterio

steriores ex Deo T. O. M. Jovem Homericum, cui, *Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habetur*, fingunt, eique infinitæ virtutis, & operositatis, gloriam subducunt.

Nuperus Autor *des Entretiens de la Theologie*, qui omnem lapidem movet, ut *Divinam gratiam* sive Spiritûs Sancti operationem in mente nostra, opusque operatum, liceat hîc cum scholasticis loqui, non injuria negasse videatur, palam ostendit, se & Dei naturam, mentisque suæ conditionem, ac sacram scripturam, nescire, aut nescire velle. Nam

1. Quis inficias eat, Deum omnem animæ nostræ facultatem, ideas, cogitationesque formasse, indidisse & conservare? ac proinde, Deum posse easdem reformare, & meliores infundere?

2. Quòd si & Deus omni præsentiâ suâ ita corporibus præsens est, ut efficaci suâ voluntate, eorundem essentiam, & attributa propria, conservet, cur non pari modo Spiritibus ita præsens sit?

3. Alioquin etiam preces nostræ (quas Jesus Christus nos docuit, scil. ut sanctificetur nomen Dei, veniat Regnum, & fiat voluntas ejus, nec nos tentemur &c. & quibus etiam rogamus auxilium Dei, seu

ut Spiritus Sanctus in mente noſtra omne bonum operetur, malumque averruncet) fruſtra eſſent, quicquid regerat iſte Autor.

4. Quod, quæſo, textus & loca S. Scripturæ indicant, quòd Deus has, illasve cogitationes inclinationesque in corde hominis excitet, quòd cor moveat, dirigat, illuminet, convertat? quod hos illosve caſus ſpeciales præordinet? conſule integras Patriarcharum, Judicum, Regum, hiſtorias. Has autem Dei operationes omnes Hebraiſmo vendicare, & per meram permiſſionem interpretari velle, effrontis audaciæ eſt, præprimis examina *Eſa.* 10: 13-15. *Ier.* 10: 23. *Ezech.* 36: 26. 27. *Act* 17: 27. 28; Ἐν τῷ Θεῷ γὰρ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμεν.

5. Probè conſideretur etiam converſio & ſanctificatio quorundam, extraordinario modo, vel in utero matris, facta, Pauli, Jeremiæ, Johannis Baptiſtæ &c.) hujusque in ventre matris ſaltus) quorum pleraque Spiritûs Sancti operationi ſeu gratiæ adſcribenda ſunt.

6. Et dic mihi, quomodo Deus dicatur benedixiſſe rebus domeſticis ObedEdomi, Jobi &c, 2. *Sam.* 16: 12. *Iob.* 42: 12. niſi moven-

movendo alios ad libertatem, servos ad diligentiam fidelitatem? &c.

7. Ut putas egisse Spiritum Sanctum in Prophetis veris & falsis, atque in Apostolis, quando ipsis potestatem concessit prophetandi, cognoscendi aliorum mentes? aut loquendi in tempore, quod ad rem esset? aut callendi varias linguas? aut putas, Deum in aliis piis otiosum esse, in solis Apostolis & Prophetis operosum?

8. Animadverte præterea, quòd Spiritus Sanctus piis quibusdam animabus somnia infundat, h. e. tales cogitationes, per quas monet, ut vel aliquid committant, vel omittant. Testis locuples est sacra Scriptura. Sed an Deus nocturnas tantum admonitiones, non diurnas mentibus nostris adfert! aut intellectum monendo, non simul movet voluntatem?

9. Tandem cedò mihi, quid significant ista verba Cœlestis Patris, ad servos, suos, h. e. Filium & Spiritum Sanctum dicentis? *Luc.* 15: 22. 25. *promite stolam & induite eam, & date annulum in manus ejus, & calceos in pedes, & mactate vitulum &c.* Nisi quod Filius & Spiritus S. omne bonum in nobis operentur, istique nos non tantum Justitiæ suæ stolâ amiciat, & ut mactatus *vitulus* satiet, sed

& Hic, tanquam *annulus* & arrha Dei, nos obsignet in diem redemptionis, atque faciat, ut *ambulemus* in viis Domini, excitando in nobis & τὸ velle & τὸ perficere? quæ divinæ in mente nostra operationes, gratia dici merentur, trito vocabulo, neque humanæ libertati contrariæ sunt, quamvis esse videantur.

Stolidumque est vel istam gratiam, vel hanc libertatem negare propter consequentias quasdam, cùm multæ aliæ veritates, quarum nexum nos non videmus, compluribus absurditatibus obnoxiæ futuræ sint, si Tuis consequentiis velis indulgere, iisdemque pro lapide Lydio uti.

O Creator animæ meæ, sis simul & Salvator & Sanctificator! *Da, quod jubes, & jube quod vis!*

X.

Plausibile est, Christum ante ultimum & universale judicium, Singulare Regnum in hac terra, quod altâ pace & justitiâ florebit, cæpturum, & ad illud omnes populos & gentes vocaturum, quarum autem vocatio atque conversio non solâ

Evan-

Evangelii prædicatione, sed & præcedenti miraculo, promovenda videtur.

FUturum esse tempus, quo Christus Jesus Rex noster in hac terra singulare Regnum excitaturus sit, magno consensu omnes Cel. *Cocceji* discipuli, quin prætet eos, multi alii viri Doctissimi ex Protestantibus, tuentur, quibus ut assentiar, & nubes testium, & Sacræ Scripturæ authoritas, me movet.

1. Spiritus S. dona, cognitionem, fidem, pietatem, charitatem, tum majori luce coruscatura, ex eo liquet, quia singularitas istius Regni cœlestis partim in ista clarissima divinorum charismatum luce necessariò consistit. Cives enim istius Regni Sancti erunt, *Dan.* 7: 22. 27. *Zach.* 14: 7. 8. 9. *Zach.* 14: 21. *Apoc.* 21: 3. 24. 26. *Esa.* 60: 21. *Matth.* 13: 41. 48. 49. Quo postremo loco observari velim, quòd Christus non loquatur de universali Judicio & ultimo, sed de particulari & separatione priore improborum à probis, quæ fiet angelorum operâ, uti eorundem operâ olim Lorh à Sodomitis & Israëlitæ ab Ægyptiis se juncti fuerant. Nec obstat, quòd hæc futura dicantur ἐν τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος, *in fine seculi*, cum ὁ αἰὼν *seculum*

in S. Scriptura notet certum & definitum aliquod, descriptumque *suis signis*, & quasi *tubis* distinctum, tempus conf. 1. *Cor.* 10: 11. *Hebr.* 9: 26. *Matth.* 16: 3.

2. Atque ut hæc dona non sufflaminentur amplius, (quod antea sæpius factum ab hostibus Dei & Ecclesiæ) tollentur omnes inimici Christi mei, Tyrani, scelesti, Idololatræ &c. & caput eorum, Antichristus, gladio, peste, igne, *Ezech.* 39. *Zach.* 14. 12. 2. *Thess.* 2: 8. *Psal.* 110: 1-3. 1. *Cor.* 15: 24-26. *Esa.* 66: 14-16.

Et quemadmodum hâc ratione erit *Nova Terra* & παλιγγενεσία *nova creatio & Regeneratio* (*Matth.* 19: 28.), sic vigebit super ea *justitia*, *Pax & Abundantia*, auctâ nimirum Sanctitate, & sublatis veritatis ac pacis osoribus. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram videl. novam.* (*Matth.* 5: 5. quem locum cum *Magno Burneto in Theoria Telluris*, *sacra* ita explicat *Iohannes Norris*, Doctissimus Anglus in tract. *The Christian Blessedness.* vid. *Biblioth. univ. Tom. XX.* conf. *Ezech.* 39. 9, *Zach.* 14. 21. *Esa.* 11: 6-16. *Esa.* 65: 17-25. 66: 10-14. *Matth.* 19: 29. *Marc.* 10: 30. *Luc.* 18: 30. quo faciunt typi annorum Sabbathici & Jubilæi.

4. Hoc

4. Hoc etiam aureo tempore, quo tanquam Sabbatho aut festo tabernaculorum, *quies* & *lætitia* & sancta *congregatio* seu convocatio erit, confluent omnes gentes Hierosolymam, h. e. ad Ecclesiam Dei *Zach.* 14: 16. *Esa.* 66: 18-23. *Psal.* 86: 9. 87: 4-6. Tunc verò Christus *equitabit super jugis Terræ*, quando nimirum omnes se se Reges ei, tanquam Regi Regum, subjicient *Apoc.* 11: 15. 21: 24.

5. Neque verò Israëlitæ, seu Judæi extra Ecclesiæ pomœria manebunt, sed Jesu Christo manus dabunt, jungendi fidelibus gentibus. Quam eorum conversionem disertis verbis promittit Sacra Scriptura *Deut.* 32: 21. *Ier* 31: 1-12. *Mich.* 4: 6-8. *Hos.* 3: 4. 5. *Rom.* 11: 11-26. Forsan etiam Hierosolymæ re ædificabuntur. *Ier.* 31: 38. 39. *Luc.* 21: 24.

6. Ut autem fiat unus grex, unumque ovile, ac lupi congregentur cum ovibus, seu ferægentes fide in Jesum Christum cicurentur, cunctæque in diversum & bellum euntes religiones, immites mores, sermones & disputationes, ponant, atque charitate, fide, & pace coalescant, miraculo aliquo insigni & publico opus erit, æque ac enunciatione Evangelii. Quemadmodum enim olim, cum Evan-

gelii tubâ personaret Terrarum orbis, ad conversionem gentium non exiguum momentum adferebant miracula, sine quibus tot populi & Philosophi prætumidi præfactam cervicem Christi jugo vix subdidissent: Ita, quando Septimus Angelus clanget, indicando Sabbatho, sonusque Evangelii, & Regnum Christi, in omnem mundum spargetur *Matth.* 24: 31. *Apoc.* 11: 15-19. præstò erit ingens publicumque aliquod miraculum, convincendis infidelibus, sopiendisque gentilium, Judæorum, Muhammedanorum, Christianorumque nugis, rixis & argutiis, citra quod miraculum, nec universali Evangelii annunciationi, paci, charitati, adeoque nec Regno Christi Catholico, locus esse videtur.

7. Attamen quodnam futurum siet miraculum, dictu est difficile. Sunt, qui asserunt descensurum regnaturumque Christum Dominum nostrum mille annis cum piis in hac terra. *Apoc.* 20: 4. 21: 3, 22. 1. *Cor.* 15. 22-26. 1. *Thess.* 4: 14-17. Neque id somnium Chiliastarum dicendum, fatuorumque syncipitum, cùm viri Doctissimi hodieque in eam sententiam eant, & ex Apostolorum auditoribus ac discipulis fuerint, qui paria tradiderint.

Sed

Sed huic opinioni haud accedo, quamvis reputem, prophetiam. *Apoc.* XX. nondum esse implectam; Etenim expositio eorum, qui τὸν Gog & Magog de Papa & Papistis tanquam *operiente & operto*, intelligi volunt, contorta videri potest. Forsan autem Christus apparebit gentibus & Judæis è cœlo, veluti Apostolo Paulo & Constantino Magno ad Pontem Milvium, quorum alter Judæorum alter gentilium olim convertendorum, typus & prodromus fuit (Constantino enim non visam esse crucem uti crucicolis placuit, sed Christi nomen, quod à cruce incipit, patet ex antiquis nummis ab ipso Constantino cusis) *ut sic videant omnes oculi, quem transfixerint* conf. *Matth.* 24: 30. 31. *& Apoc.* 1: 7. pleniſſimè implendâ tunc Prophetiâ. *Zach.* 12: 10. *& Matth.* 26: 64. *Apoc.* 11: 19.

8. Quòd, si verò hæc loca improprio omnino sensu accipere velis, vix tamen in dubium vocaveris, multos, qui in Domino occubuerunt, tùm temporis resurrecturos; siquidem meridianâ luce clarius est, Scripturam de duplici mortuorum resurrectione loqui altera particulari, altera universali, & quarum ista hanc antecessura sit. Adverte quæso attentum animum ad

1. *Cor.*

1. *Cor.* 15: 22-26. *Resurget quisque suo ordine. Primitiæ, Christus* ἔπειτα οἱ Χριστοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ, *deinde illi, qui Christi sunt, quando* nimirum *apparebit,* εἶτα τὸ τέλος, ὅταν παραδῷ τὴν βασιλείαν τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ, ὅταν καταργήσῃ πᾶσαν ἀρχὴν καὶ πᾶσαν ἐξουσίαν καὶ δύναμιν; *Postea finis erit, cùm tradiderit Regnum Deo atque Patri, & cum aboleverit omnem Principatum, omnem authoritatem & omnem potestatem &c.* 1. *Thess* 4: 14-17. *Nam ipse Dominus Jesus Christus cum clamore & voce Archangeli* (qualis Jesus Christus ipse est, hincque vocatur *Gabriel & Michael*) *& cum tubâ Dei descendet è cælo, & mortui in Christo* ἀναστήσονται πρῶτον, *resurgent primò,* ἔπειτα ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι *&c. Postea nos qui vivimus, & reliqui sumus &c.* conf. *Apoc.* 20: 4. 5. 6. *Apoc.* 11: 15. 18.

Quicquid sit, Tu fac prece & opere, ut Regnum Dei veniat, nec id vel malesanâ vitâ, vel incredulitate prohibe!

Καὶ ἔρχου Κύριε Ἰησοῦ.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn792504542/phys_0245
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn792504542/phys_0246
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn792504542/phys_0247
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn792504542/phys_0248
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn792504542/phys_0249
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn792504542/phys_0250
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn792504542/phys_0251
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn792504542/phys_0252
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn792504542/phys_0254
DFG

ergò juſtificabimur ex omiſſion
rum ? aut pro Sanctis ſumus r
quia nobis aut vires aut occaſi
di defuit?

Quandoque etiam mitius nat
gidius temperamentum nobis i
de non ſimiliter in laſciviam, el
cædes, iram, prolabimur, ac al
præcordia fervidiori ſanguine
num autem propterea Sanctior
mus ?

Ut vel hinc liqueat, quantu
& labor impendendus, ubi p
Sanctimoniæ noſtræ veritatem,
temque habere velimus!

VIII.

Quâ ratione vel Te, vel alium C
mediocris pietatis, commodiſſi
& ſalutis certiorem reddere, po

VIx decimus, dicam centeſi
quorum eſt ſolari alios, eis
certitudinem perſuadere, aptu
officii genus. Multi putant, &
quod officio iſto eximiè ſint def
ingentem dictorum ex ſcriptu
nem protulerint, iisque aures &

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 032
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
4.5 5.0 5.6 6.3
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn792504542/phys_0255
DFG